An. et vol. CIV 1 Iunii 2012 N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

LITTERAE DECRETALES

I

Quibus Beatae Candidae Mariae a Iesu Cipitria y Barriola, Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Quicumque quaesierit animam suam salvam facere, perdet illam; et, quicumque perdiderit illam, vivificabit eam» (*Lc* 17, 33).

Beatae Candidae Mariae a Iesu christiana testificatio ostendit eam uberiorem in Christo vitam invenire, quae in Deo ipsam perdere studet (cfr *Io* 10, 10). Humili genere fuit haec puella. Eius in corde suum signaculum inussit Deus, quod effecit, Societatis Iesu sodalibus regentibus, ut serveretur, ut ea moritura memoravit: «Quadraginta anni sunt vitae religiosae, omnes Deo dicati». Vitam Deo eiusque regno aedificando destinavit. Exiguis terrestribus adiumentis fulta, sed fervore locuples, alias iuvenes affecit, quas ad Iesum sequendum et ad mulieres instituendas promovendasque una simul compulit.

Candida Maria a Iesu (saeculari nomine Ioanna Iosepha Cipitria y Barriola appellata) die XXXI mensis Maii anno MDCCCXLV orta est, primogenita

ex septem filiabus Ioannis Michaelis Cipitria, humilis textoris, atque Mariae Iesu Barriola, in oppido *Andoain* Hispaniae. Eodem ortus die Baptismatis aqua abluta est. Annis MDCCCLXIII-MDCCCLXV propositum cum parentibus communicavit se velle Deo sese dicare. Coniugii opportunitates ostendentibus parentibus, subinde respondit: « Ego solummodo pro Deo ». Anno MDCCCLXV Burgum se contulit ut domesticum opus ageret, atque anno MDCCCLXVIII in familia Sabater Vallisoleti commorari coepit. Ibi patrem Iesuitam Michaelem Herranz cognovit, qui eius moderator spiritus factus est. Die II mensis Aprilis anno MDCCCLXIX, in templo populari sermone « el Rosarillo » vocato, palam intellexit se novam condere debere Congregationem, cuius titulus « Filiae Iesu », quaeque animarum salutem iuvaret per parvulorum et iuvenum institutionem. Nomen in Candidam Mariam a Iesu mutavit. P. Herranz cum novisset Beatam litteris « fere » carere, eam per se docere coepit. Die VIII mensis Decembris anno MDCCCLXXI Congregatio Filiarum Iesu Salmanticae orta est. Eo quod simplex erat, indocta, omni ope subsidiisque destituta cunctae vitae cursu, id demonstrat eam, fideliter Deo vocanti respondentem, instrumentum factam esse missioni illi aptum, ad quam electa erat. Auxilio etiam et praesidio Beatae Virginis Mariae filiali modo innitebatur, cum diceret: « Non mihi confido et omnem meam spem in Te, carissima Mater mea, pono ». Eius spiritalitas sancti Ignatii a Loyola exercitiis alebatur. P. Erranz iuvante, Constitutiones suae religiosae familiae scripsit. Cum suae operae firmitatem conferre vellet, Romam petiit ad approbationem pontificiam a Summo Pontifice Leone XIII die XVIII mensis Septembris anno MCMII adipiscendam. Omnia illa ad Dei gloriam patrabat, plane conscia, se, ad Dei gloriam dandam, eius oportere voluntatem complere, cum abnegaret semet ipsam atque aliis sese dicaret, Iesu semitam sectans. Hanc auream normam in Istituti Regula Beata reliquit: « Dei gloria oportet promoveatur et proximi bonum, magis quam sui ipsius bonum vel temporalis utilitas requiratur ». Eius apostolicum studium contrahi non potuit, atque anno MCMXI duas sororum series in Brasiliam misit. Spiritalem hereditatem sororibus suis reliquit quamvis mundi partem libenter petendi, ut nationes attingerent, scholis indigentiores. Inde a pueritia pauperes, peccatores, derelictos, spiritus corporisque rebus carentes adamavit. « Ubi non est locus meis pauperibus, neque mihi est locus »: sic quondam Burgi respondit cum esset ibi famula. Omnis eius vita Dei praesentia atque personali in Christum amore collustrata est. Nomen ipsum « Filiae Iesu » personam Iesu praecipuum locum in eius vita occupare edicit, perinde ac nomen, quod ipsa ut conditrix,

Candida Maria a Iesu, sumpsit, palam illa sententia exprimitur: « In Iesu omnia habemus et sine illo omnia amisimus ». Similiter suas filias cohortabatur ut Christo conformarentur, sicut filius patris similitudinem prae se fert. Inter aerumnas, dolores, perquam sincere iterabat: « Sine cruce nihil efficitur; adveniant cruces et Dei voluntas fiat ». Usque ad finem suae vitae cum Domino ambulavit, sanctitatem persequens atque virtutis exempla suis filiabus exhibens. Die IX mensis Augusti anno MCMXII Salmanticae obiit. Sanctitatis fama post eius mortem producta est, ideo Episcopus Salmanticensis Processum Ordinarium Informativum anno MCMXLII incohavit, qui anno MCMLVII completus est. Postea ad illius temporis normas Processus Apostolicus super virtutibus est constitutus. Die VI mensis Iulii anno MCMXCIII Venerabilis Dei Servus Ioannes Paulus II Decretum de virtutibus heroum in modum exercitis evulgavit. Idem Pontifex, die VI mensis Aprilis anno MCMXCV Decretum edidit de miraculo beatificationis causa, quae Romae die XII mensis Maii anno MCMXCVI facta est. Canonizationis gratia Congregatio de Causis Sanctorum quandam prodigiosam sanationem vestigavit, quam medici Consultores die XXV mensis Septembris anno MMVIII scientifice inexplicabilem putarunt. Casum porro Consultores Theologi felici cum exitu vestigaverunt, die VII mensis Martii anno MMIX in Peculiari Congressu coadunati, itidem Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XVI subsequentis mensis Iunii. Sic Nos facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miro die III mensis Iulii anno MMIX foras emitteret. In Consistorio die XIX mensis Februarii anno MMX habito decrevimus ut Beatam Candidam Mariam a Iesu in Sanctorum catalogum die XVII mensis Octobris anno MMX referremus.

Hodie igitur in Foro ante Petrianam Basilicam inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Stanislaum Kazimierczyk, Andream Bessette, Candidam Mariam a Iesu Cipitria y Barriola, Mariam a Cruce MacKillop, Iuliam Salzano et Baptistam Varano Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die septimo decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo decimo, Pontificatus Nostri sexto.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 124.523

II

Quibus Beato Andreae Bessette, Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei » (*1 Cor* 1, 27-29).

Beatus Andreas Bessette, Congregationis a S. Cruce sodalis, mature sua in vita aerumnas paupertatemque cognovit, quibus ad Deum se committendum interiore studiosaque precatione est compulsus, atque sua in parvitate a Deo electus est ut Christi luce universalem Ecclesiam perfunderet. Frater Andreas Bessette in oppido *Saint-Grégoire d'Iberville*, Quebecensi in provincia, in Canadia, die IX mensis Augusti anno MDCCCXLV, octavus ex duodecim liberis, est ortus. Cum patrem primum et matrem post amisisset, familiam per assiduum laborem iuvit, cum vim et perseverantiam ex fide a parentibus sumpta ac simul continuata precatione depromeret. Dominum vocantem ad se in paupertate, castitate et oboedientia persequendum, inde ab Eucharistia primum suscepta audivit. Dei voluntati obsequens, Congregationem a S. Cruce est ingressus, ubi die XXVII mensis Decembris anno MDCCCLXX vestimentum religiosum sumpsit. Ianitor in collegio Dominae Nostrae Marianopolitanae, caritatem in suam communitatem mirabilem demonstravit atque languoribus tot hominum subvenire studuit, qui fidenter ad eum decurrebant. S. Ioseph patrocinio invocato, solacium a Deo obtinuit animi corporisque eorum qui eum conveniebant. Omnes precari atque Dei voluntatem complere docebat. Licet scholarum nulla complevisset curricula, fidei scientiam tamen habebat, quam Spiritus Sanctus humilibus tribuit. Ei credere idem erat atque libere et amore divinae voluntati obsequi. Iesu praesentia imbutus, beatitudinem a Domino nostro puris cordibus repromissam tenuit. Simplicitatis gratia, quam ipse veluti charisma habuit, effecit ut eius vita Dei praesentiam ostenderet. Anno MCMIV Oratorium, S. Ioseph in Monte Regali dicatum, aedificandum curavit, ubi fidus custos usque ad mortem est commoratus,

quae die VI mensis Ianuarii anno MCMXXXVII evenit, suarum spectabilium virtutum lumen in innumeros peregrinatores effundens. Eius apostolatus locupletior fecundiorque propter simultates et improbationes est factus, quas ille summa humilitate toleravit. Sanctuarium multarum corporis spiritusque sanationum necnon certarum conversionum fuit testis. Beatus dicere solebat: «ne quaeratis ut a probationibus liberemini, sed potius petite gratiam ut bene easdem toleretis». Beato Andreae omnia de Deo eiusque praesentia loquebantur.

Eius sanctitatis fama, quae iam eius in vita viguit, effecit ut Praesul Marianopolitanus Processum Informativum anno MCML incoharet, quem Processus Apostolicus est subsecutus. Horam processuum validitates per Decretum Sacrae Rituum Congregationis die XIX mensis Februarii anno MCMLXVI agnita est. Die XII mensis Iunii anno MCMLXXVIII fratris Andreae virtutes herorum in modum exercitae sunt agnitae. His perfectis iure statutis rebus, Decessor Noster Ioannes Paulus II die XXVII mensis Novembris anno MCMLXXXI super miro foras emisit Decretum atque die XXIII mensis Maii anno MCMLXXXII eundem in beatorum catalogum rettulit. Pro canonizatione sanatio pueri Alexandri Gagné, quae anno MCMXCIX evenit, est exhibita. Hic eventus physice inexplicabilis a Medicis Consultoribus Congregationis de Causis Sanctorum, die XXVI mensis Februarii anno MMIX, est iudicatus atque in Theologorum peculiari Congressione, die XXVII mensis Iunii anno MMIX, necnon a Patribus Cardinalibus Episcopisque in Sessione Ordinaria, die XV mensis Decembris anno MMIX, Beati Andreae Bessette intercessioni ascripta est. Sic Nos ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miro, die XIX mensis Decembris anno MMIX, evulgaret. In Consistorio, die XIX mensis Februarii anno MMX, statuimus ut canonizatio Beati Andreae Bessette die XVII mensis Octobris anno MMX celebraretur.

Hodie igitur in Foro ante Petrianam Basilicam inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Stanislaum Kazimierczyk, Andream Bessette, Candidam Mariam a Iesu Cipitria y Barriola, Mariam a Cruce MacKillop, Iuliam Salzano et Baptistam Varano Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes

eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die septimo decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo decimo, Pontificatus Nostri sexto.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 135.354

III

Quibus Beato Sigismundo Felici Feliński, Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus quasi somniantes. Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione. Tunc dicebant inter gentes: "Magnificavit Dominus facere cum eis" » (*Ps* 126, 1-2).

Psalmus CXXVI de gaudio Hebraeorum nobis loquitur, qui Ierusalem post exsilium in Babilonia redeunt. Beatus Sigismundus Felix Feliński, Archiepiscopus titulo Tarsensis, olim Varsaviensis, in exsilio extra suam archidioecesim XX annos fuit atque iurisdictione episcopali omnino privatus. Luctuosa vixit partitionis Poloniae tempora atque sequentis mentis adversus catholicos novorum dominantium.

Die I mensis Novembris anno MDCCCXXII in *Wojutyn*, prope Luceoriensem urbem, in terra videlicet quae olim ad Regnum pertinebat Poloniae, tunc sub dominatione Russiae et hodie in Ucraina invenitur. Eius familia, nobilis stirpis, patriam ferventer amabat. Quamobrem eius mater in Sibiriam inter annos MDCCCXXXVIII et MDCCCXLIV est deportata. Expletis studiis gymnasii, curricula mathematicae apud Universitatem Studiorum Imperialem Moscuae frequentavit, atque anno MDCCCXLVII apud Sorbonensem Universitatem studiis Lutetiae Parisiorum se dedit. Anno MDCCCLI Beatus Sigismundus Felix Feliński in patriam se contulit. Seminarium dioecesanum ingressus est Zytomeriense atque curricula apud Academiam Ecclesiasticam Romanam-Catholicam Petroburgi adimplevit. Die VIII mensis Septembris anno MDCCCLV sacerdos est ordinatus. Anno MDCCCLVII, Petroburgi, refugium condidit pro pauperibus atque Congregationem Familiae Mariae. Eius ingenium, infatigabilis industria apostolica atque altissima sacerdotalis ratio cogitandi et vivendi ita aestimatae sunt, ut die VI mensis Ianuarii anno MDCCCLXII Beatus Pius IX eum Archiepiscopum nominaret Varsaviensem. Die XXVI mensis Ianuarii eiusdem anni Petroburgi est consecratus atque die IX mensis Februarii Varsaviam venit, funesto tempore pro Ecclesia et Poloniae natione. Quattuor ante menses omnia catholica templa clausa erant. Novus Archie-

piscopus, die XIII mensis Februarii anno MDCCCLXII, cathedrale templum reconsecravit et omnia capitis urbis sacra templa aperuit cum celebratione LX horarum et expositione Sanctissimi Sacramenti. Amore erga Eucharistiam per totam eminuit vitam, sicut etiam sollicitudine de clero parando, de Seminariis reformandis, de catechesi populo tradenda. Animator fuit missionum popularium, sedulam adhibuit curam de orphanis et pauperibus, pro quibus refugium condidit et scholam. Spiritum unitatis et solidarietatis in Episcopatu Poloniae augere conatus est atque operam dedit altiori cum Summo Pontifice nexui, in lucem scriptis et verbis proferens unitatem fidelium, cleri et episcoporum totius orbis cum Ecclesiae Capite. Navitas eius pastoralis a civilibus auctoritatibus tunc dominantibus in Polonia aegre ferebatur, ita ut die XIV mensis Iunii, transactis videlicet tantummodo XVI mensibus ab eius gubernio in archidioecesi, primum deportatus est, deinde exsiliatus in Iaroslaviam, prope Volgam. In exsilio XX mansit annos, semper Romano Pontifici fidelis, cui suam concredidit condicionem, ad oboedientiam omnimode paratus. In exsilio spiritale prosecutus est humanumque ministerium pro catholicorum ibi commorantium bono atque illorum qui iam in Sibiria exsules erant, ubi sacram etiam fundavit aedem. Ob eius indolem misericordiae et immensam in Divinam Providentiam fiduciam, ob amorem et devotionem erga Beatam Mariam Virginem, Matrem Dei, aestimationem ex parte incolarum non catholicorum eiusque custodum sibi conciliavit.

Etiamsi e custodia liberatus erat, in dilectam Varsaviam redire non potuit et postremos XII annos vitae suae transegit in loco v.d. *Dzwiniaczka*, Galiciae regionis, Leopolitana in archidioecesi, hodie in Ucraina, tunc sub Austriaca dominatione. Iterum in exsilio apostolicae industriae inter agricolas se dedit, sollicitus de spiritali et materiali bono tum Polonorum ibi commorantium tum Ucrainorum, ritus Byzantini et Latini. Etiam in *Dzwiniaczka* primam condidit pro pauperibus scholam, primam aperuit domum pro infantibus, sacram aedificavit aedem atque conventum pro Sororibus Familiae Mariae. Omnibus usus est instrumentis ad generationem formandam, in qua regnaret concordia, unitas et aestimatio prae diversitate linguarum, culturarum et religiosorum rituum. Beatus, die XVII mensis Septembris anno MDCCCXCV, Cracoviae pie in Domino obdormivit, post brevem et acerbum morbum, heroicum praebens exemplum serenitatis, patientiae in cruce baiulanda et magnae humilitatis. Eius exsequiae ingentem ecclesialem nationalemque constituerunt manifestationem.

Fama sanctimoniae qua in vita fruebatur, post mortem ita consolidata est, ut anno MCMI Congregatio Sororum Franciscalium Familiae Mariae primos fecerit gradus ad Beatificationis Canonizationisque sui Fundatoris Causam instruendam. Processus Informativus die XXXI mensis Maii anno MCMLXV a Cardinale Stephano Wyszyński apud Curiam archidioecesis Varsaviae incohatus est et a Cardinale Iosepho Glemp die XXX mensis Ianuarii anno MCMLXXXIV conclusus. Venerabilis Servus Dei et Decessor Noster piissimae memoriae, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, per Decretum die XXIV mensis Aprilis anno MMI promulgatum, declaravit Servum Dei Sigismundum Felicem virtutes heroico modo exercuisse. Idem Pontifex, die V mensis Iulii anno MMII, Congregationi de Causis Sanctorum facultatem tribuit ut Decretum super miraculo promulgaret atque die XVIII mensis Augusti anno MMII Cracoviae in Polonia ritui praefuit Beatificationis. Intuitu Canonizationis, examini subiecta est Congregationis de Causis Sanctorum sanatio Stephaniae Zelek, sodalis Congregationis Sororum Franciscalium Familiae Mariae a gravi anhaemia aplastica, de qua Inquisitio dioecesana instructa erat anno MMIV. Consilium Medicorum Congregationis de Causis Sanctorum, investigato casu atque attenta sanatione celeri, perfecta et constanti, agnovit eam sub luce scientiae medicae inexplicabilem fuisse. Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, die XXVII mensis Iunii anno MMVIII, atque Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, die IV mensis Novembris eiusdem anni, sanationem miraculosam intercessioni Beati Sigismundi Felicis Feliński adscriptam agnoverunt.

Nosmet Ipsi facultatem Congregationi de Causis Sanctorum tribuimus, ut Decretum super miraculo die VI mensis Decembris anno MMVIII promulgaret. Die XXI mensis Februarii anno MMIX in sollemni Consistorio Canonizationem Beati Sigismundi Felicis Feliński decrevimus. Hodie igitur, die videlicet XI mensis Octobris anno MMIX, Romae in Basilica Petriana inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: « Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Sigismundum Felicem Feliński, Franciscum Coll y Guitart, Iosephum Damianum De Veuster, Raphaelem Arnáiz Barón et Mariam a Cruce Jugan Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa

Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undecimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo nono, Pontificatus Nostri quinto.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 157.774

CONSTITUTIO APOSTOLICA

SEGHENEITENSIS

In Erythraea nova Eparchia Segheneitensis conditur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum visum sit ut Eparchia Asmarensis in Erythraea utpote nimis ampla ad animarum curam efficacius exercendam divideretur, Nos, Successor beati Petri deque totius Dominici gregis bono solliciti, audito Venerabili Fratre Nostro S.R.E. Cardinale Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, sequentia decernimus. Ab Eparchia Asmarensi detrahimus quoddam territorium ex quo condimus novam Eparchiam Segheneitensem propriis cum iuribus atque obligationibus; quae suos habet fines in Erythraeae regione inter meridiem et ortum solis spectante, atque Eparchia Adigratensis ad meridiem, Mare Rubrum in septemtriones et Eparchia Asmarensis inter septemtriones et occasum solis eam definiunt. Insuper ipsius sedem ponimus in urbe *Segheneity* ibidemque exstans paroeciale templum Sancti Michaëlis Archangeli ad gradum Cathedralis ecclesiae evehimus. Ceterum novam Eparchiam, cuius est Patronus Sanctus Iustinus de Iacobis, suffraganeam facimus Archieparchiae Metropolitanae Neanthopolitanae. Eiusdem quidem constitutio et administratio ad normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium fient. Quae vero iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur.

Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Februarii, anno Domini bis millesimo duodecimo, Pontificatus Nostri septimo.

✠ Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Nicolaus E.-M. D. Thevenin, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 199.497

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Szilárd Bogdánffy, Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Accipietis virtutem superveniente Sancto Spiritu in vos et eritis mihi testes et in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae» (*Act* 1, 8).

Itaque virtus Spiritus Sancti in Venerabili Servo Szilárd Bogdánffy, Episcopo, sic operata est ut etiam nunc vitae eius testimonium inter angustias et vexationes apud Ecclesiam Magnovaradinensem fulgeat sicut exemplum fidei.

Venerabilis Servus Dei Szilárd Bogdánffy, natus die XXI mensis Februarii anno MCMXI in *Feketető,* provinciae Torontaliensis, illo tempore ad Hungariam, nunc ad Serbiam, pertinentis; die VI sequentis mensis Martii in paroecia oppidi *Csóka* baptizatus est. Primam gessit infantiam in oppido *Torontálkeresztes,* deinde in loco *Temesvár,* ubi gymnasium-lycaeum Clericorum Regularium Scholarum Piarum frequentavit donec diploma maturitatis est adeptus. Animadvertens interea se ad sacerdotium vocari, rogavit ut ad seminarium dioecesanum Magnovaradinense Latinorum admitteretur. Studiis theologicis Budapestini rite expletis, sacerdos ordinatus est die XXIX mensis Iunii anno MCMXXXIV et studia superiora perrexit usque ad tempus quo Doctoratus gradum est assecutus.

Post ordinationem sacerdotalem operosum aggressus est ministerium pastorale, primum in urbe Satmariensi docens, deinde sicut animator plurium institutorum ecclesialium in dioecesi. Fuit quoque magister religionis atque spiritus moderator apud alumnas Sororum Ursulinarum; Ordinem Tertium Sanctae Angelae Merici pro ex-alumnis fundavit. Postea spiritalem aegrorum suscepit curam tam in valetudinario civili quam in valetudinario Varadini pro insanis, eodem tempore muneribus fungens moderatoris spiritus apud seminarium dioecesanum atque magistri apud gymnasium superius Praemonstratense. Plurima eius opera fructusque multiplex eius ingenium in munere docendi testificantur. Illa enim periodo innumeros articulos, praesertim

de re catechetica et spirituali, variis in commentariis edidit, ut hoc quoque modo Evangelium iuvenibus annuntiaretur.

Minaces interea caligines tam societatem Europaeam offuscabant quarum causa illa in trepidissimis angustiis versabatur, ita ut omnia reciderent in persecutionem Hebraeorum et in alterum pancosmicum bellum. Pater Szilárd numquam rigidas secutus est sententias de re politica sed, in specificis historiae adiunctis, viam dialogi et pacis semper quaesivit ac demonstravit praeclaram curam in pauperes et oppressos. Sic stantibus rebus, simul cum aliis docentibus, ipse nonnullos Hebraeos abscondit in seminario Magnovaradinensi, celans eorum identitatem. Fidei vita in dioecesi infeliciter opprimebatur etiam post bellum propter persecutionem contra Ecclesiam eiusque instituta a regimine communistarum provectam. Accidit quoque ut nonnulli Episcopi ad arbitrium comprehenderentur. Ingravescentibus difficultatibus, Servus Dei nominatus est Secretarius Episcopi Scheffler János, sacrorum Antistitis Satmariensis, atque consiliarius duarum dioecesium Magnovaradinensis et Satmariensis, ac die XIV mensis Februarii MCMXLIX occulte consecratus est Episcopus dioecesis Magnovaradinensis Latinorum. Interea omnes Ecclesiae Pastores, eo quod regimini adiumentum negabant, a primoribus statalibus habebantur tamquam inimici, quos inter recensebatur Episcopus Bogdánffy. Hac de causa, paulo post ordinationem, traditus est in custodiam Securitatis Varadini et duobus annis postea translatus est in carcerem urbis *Jilava* vulgo dictae. Deinde destinatus est ad fodinam plumbeam loci *Máramarossziget* ac deinde ad campum exitialem in oppido *Capul Midia* iuxta Pontum Euxinum. Nondum autem venerat novissima vitae suae hora. Ex illo loco quippe Servus Dei, ad publicum opus damnatus, translatus est in carcerem Aegidiopolis. Cruciatibus laboribusque in metallis confectus, pulmonitem contraxit, et, quamvis in valetudinarium sit translatus, necessariam curam non obtinuit. Ideo die I mensis Octobris anni MCMLIII, natus XLII annos, in carcere obiit, martyrio perficiens vitam suam virtutibus plenam, quae fructus fuerunt integrae ac firmae fidei necnon sapientis et profundae spiritualitatis.

Sequentes anni sunt silentio transacti. Memoria autem Episcopi Bogdánffy non deminuit, ita ut martyrii fama Episcopum Magnovaradinensem Latinorum concitaret ad inquisitionem dioecesanam incohandam, quae a die XXI Octobris MCMXCIII ad diem XX mensis Novembris anno MCMXCV est peracta, cuiusque validitatem Congregatio pro Causis Sanctorum die V Martii anno MMI recognovit. Die XVII mensis Octobris anno MMIX, prospero cum exitu,

factus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi porro, in Sessione Ordinaria die XII mensis Ianuarii habita anno MMX, professi sunt Servum Dei Szilárd Bogdánffy suam vitam dedisse ob fidelitatem erga Dominum Nostrum Iesum Christum Eiusque Ecclesiam. Nos Ipsi, die XXVII mensis Martii anno MMX, mandavimus ut super martyrium Decretum conscriberetur. Deinde decrevimus ut beatificationis ritus in urbe Magnovaradinensi perageretur die XXX mensis Octobris anno MMX.

Hodie igitur, in urbe praedicta, de mandato Nostro Venerabilis Frater Angelus Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servum Dei Szilárd Bogdánffy in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Ladislai Böcskei, Episcopi Magnovaradinensis Latinorum, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Szilárd Bogdánffy, Episcopus et martyr, qui ministerium pastorale cum deditione et liberalitate exercuit, atque brevi tempore ad fidem testificandam vitam suam pro Christo immolavit, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die tertia mensis Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Sic perplacet Nobis singularia vitae christianae atque navitatis episcopalis beati Szilárd Bogdánffy merita illustrare eorundem documenta celebrare. Itaque preces universa cum Dei Ecclesia fundentes, hunc fidelissimum Christi ministrum pie invocamus ut, vita iam in exemplum imitationemque omnibus fidelibus proposita, sua apud Dominum Redemptorem deprecatione in terris adhuc versantes quam efficacissime adiuvet, sustineat, confirmet.

Singula quae hisce ediximus Litteris ac decrevimus, volumus et nunc et in posterum valere tempus, contrariis quibusvis rebus nequaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undetricesimo mensis Octobris, anno Domini bismillesimo decimo, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis

THARSICIUS card. BERTONE

Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 147.037

II

Venerabili Dei Servae Barbarae Maix, caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Sponsus noster divinus vult ut per semitam ab Eo calcatam ad caelum tendamus. Sic nos sanctificare possumus» (epistula diei XXV mensis Ianuarii anno MDCCCLXXII).

Sanctitatis viam tenens, Venerabilis Dei Serva Barbara Maix divini amoris fragrantiam in pauperiores Dei filios in Austria et Brasilia effudit, summa caritate dum debilioribus desertioribusque iuvandis operam daret, in fide perseverans atque erga divinam voluntatem ac providentiam in fiducia.

Venerabilis Dei Serva Maria Barbara a Sanctissima Trinitate, saeculari nomine Barbara Maix appellata, die XXVII mensis Iunii anno MDCCCXVIII Vindobonae ex pauperrima familia orta est, cuius pater in imperatoris aedibus opus faciebat. Anno MDCCCXXXIII, XV annos nata, parentes iam amiserat. Eius familia typho ac fame penitus est correpta. Superstites sorores nuptias inierunt et ipsa cum sorore Maria mansit. Templum «am Gestade» adire solebat precatura, ubi sodalibus Congregationis Sanctissimi Redemptoris concionantibus, consilium cepit variis Vindobonae societatis difficultatibus subveniendi. Famularum et operibus carentium feminarum difficilibus condicionibus praesertim commovebatur. Amicabus patefacere coepit desiderium quod Dominus eius in cor infuderat: «Congregationem conde Matris Meae»! Quapropter anno MDCCCXLIII domum recipiendis feminis operariis et opere carentibus constituit, moderante patre Pöckl, Congregationis Sanctissimi Redemptoris sodale. Sed civilis condicio in Austria novas Congregationes instituere non sinebat. Romam petiit ut comprobationem a Gregorio XVI obtineret, qui pridie quam eam convenire debuerat, die II mensis Iunii anno MDCCCXLVI, mortuus est. Anno MDCCCXLVIII, cum liberalis motus ingrueret, omnia difficiliora sunt facta. In animum induxit ut Americam Septentrionalem peteret, sed cum Hamburgensi in portu navem opperiretur, mutavit consilium et cum praesto esset navis, in Brasiliam se contulit. Post LII dies cum ad urbem Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii una cum sociis appulisset, omni ope destituta, Episcopum adiit, qui in claustro sororum Conceptionistarum eas collocavit. Die VIII mensis Maii anno MDCCCXLIX Venerabilis Dei Serva Barbara Maix eiusque sociae religiosam

vestem induerunt atque vota religiosa in Episcopi manibus nuncuparunt. Alacriter operoseque pauperibus inservire coepit. Anno MDCCCLII Vindobonam repetiit, ut secum XII novas sodales deferret atque die XVIII mensis Octobris eiusdem anni Pium IX convenit, qui eius animum confirmavit, dicens « Ite et operamini in vinea Domini. Date operam ut Congregatio augeatur ». Pontificis verbis roborata, anno MDCCCLIV in Brasiliam rediit, ubi totam per vitam apostolicum opus sustinuit. Congregatio Sororum ab Immaculato Corde Mariae ab ea condita Vindobonae feminis operariis et opere carentibus inservivit, in Brasilia in scholis, pupillorum puerorumque desertorum institutis, iuvenum domiciliis, aegrotorum provincia est operata. Mater Barbara ex sacra Eucharistia, precatione ac Dei Verbo vires hauriebat. Cum terrestre iter faceret, se Christo aequare contendit, cuius voluntati semper, a Spiritu Sancto ducta, sese addixit. Suis filiabus, veluti spiritale testamentum, veniam dandam et veritatis amorem reliquit. Die XVII mensis Martii anno MDCCCLXXIII pie obiit in oppido Catubi prope S. Sebastianum Fluminis Ianuarii, silens quidem et paupera. Cum eam ad funera compararent, eius in capite coronam spineam posuerunt, ut sponsam Sponsi Crucifixi significarent.

Sanctitatis eius fama cum augeretur, eius intercessionem nonnulli petebant. Propter bella mundana atque gravem egestatem beatificationis Causa est procrastinata, quae apud Portum Alacrem die XIX mensis Iunii anno MCMXCIII incohata est et die XXIX mensis Novembris anno MCMXCVI ad finem adducta. De iuridica validitate dioecesanae Inquisitionis Decreto die XXIV mensis Aprilis anno MCMXCVIII obtento, Consultores Theologi, in Congressione Peculiari die XIX mensis Octobris anno MMVII coadunati, Servae Dei virtutibus, heroum in modum exercitis, suffragati sunt atque idem Patres Cardinales Episcopique in Sessione Ordinaria die I mensis Aprilis anno MMVIII iudicarunt. Sic Nos ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum de virtutibus, heroice exercitis, Decretum die III mensis Iulii anno MMVIII ederet. Pro beatificatione pueri, graviter perusti, sanatio est lata. Medici Consultores die XIII mensis Novembris anno MMVIII hanc sanationem ad scientiam inexplicabilem iudicaverunt, quam Congressio Peculiaris Theologorum die XXII mensis Martii anno MMIX Venerabilis Dei Servae intercessioni tribuit. Sic censuerunt Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XII mensis Ianuarii anno MMX. Nos Ipsi sivimus ut Congregatio de Causis Sanctorum die XXVII mensis Martii anno MMX Decretum evulgaret atque statuimus ut beatificationis ritus die VI mensis Novembris anno MMX in urbe Portus Alacris celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Angelus Amato, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servam Barbaram Maix adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Dadei Grings, Archiepiscopi Portalegrensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Barbara Maix, religiosa, Fundatrix Congregationis Sororum ab Immaculato Corde Mariae, quae, voluntatem Dei in omnibus quaerens ac pristinarum spiritu communitatum christianarum imbuta, pauperes curavit, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die sexta mensis Novembris, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Novembris, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 157.585

III

Venerabili Dei Servo Ioanni Scheffler, Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Ibi vacabimus et videbimus, videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis nisi pervenire ad regnum, cuius nullus est finis? » (S. Augustinus, *De civitate Dei,* XXII, 30, 5).

Haec novissima sunt verba quae pronuntiavit, parum antequam moreretur, Venerabilis Servus Dei Ioannes Scheffler. Similes cogitationes cunctam per vitam cor et mentem eius illuminaverunt, quapropter vixit ac mortem obiit memoria tenens finem qui singulos Christianos concitat: ad Christum pervenire in Regno caelorum.

Servus Dei Ioannes Scheffler natus est die XXIX mensis Octobris anno MDCCCLXXXVII in loco *Kálmánd*, dioecesis Satmariensis, qui nunc situs est intra fines Romaniae, quique olim ad Hungariam pertinebat. Congrua institutione suscepta, presbyter ordinatus est die VI mensis Iulii anno MCMX. Eodem anno Romam missus est, ubi anno MCMXII apud Pontificiam Universitatem Gregorianam lauream in iure canonico est consecutus. In dioecesim suam reversus, apud Seminarium Maius munere fungebatur docentis et praefecti. Cappellanus fuit inde in urbe *Ungvár*, postea catechesim docuit et Archigymnasium Catholicum Satmariense direxit. Interea anno MCMXV Budapestini adeptus est doctoris titulum in theologia. Officia pastoralia cum magisterio consociavit, etenim parochus fuit loci *Nagymajtény*, deinde praeceptor ac denique etiam moderator spiritus in Seminario Magnovaradinensi. Participavit in Congressibus Eucharisticis Internationalibus Chicagiae anno MCMXVI, Carthagine anno MCMXXX et Dublini anno MCMXXXII. Plurimos exaravit articulos scientificos de iure canonico, in quibus operam dedit studiis de iuridica indole autonomiae Ecclesiae eiusque necessitudinibus cum civitate. Praeparavit Regulas Sororum Misericordiarum Satmariensium atque Statuta dioecesis Satmariensis. Annis MCMXXXVI-MCMXXXVIII operam suam contulit ad dioecesanam synodum apparandam, cuius deinde publici iuris fecit « compendium », nempe *Decreta synodalia.* Pro iuvenibus et catholicis doctis Hungariae scripsit et in patrium sermonem varios libros catechesis convertit.

Currente autumno anni MCMXL nominatus est professor Ordinarius iuris canonici apud studiorum universitatem Francisci Iosephi in urbe *Kolozsvár*. Veluti suam peculiarem vocationem sacerdotalem sensit spiritalem institutionem alumnorum Seminarii et religiosorum. Valde aestimatus fuit uti moderator spiritus in Seminariis Maioribus sive Satmariensi sive Magnovaradinensi Latinorum. Plurimi factus est uti confessarius apud Sorores Misericordes Satmarienses et Sorores Franciscales Magnovaradinenses. Plurima praedicavit spiritalia exercitia ad presbyteros et religiosos, unde verum odorem sanctitatis diffundere fecit. Anno MCMXLII nominatus est Pastor dioecesis Satmariensis atque Administrator Apostolicus Magnovaradinensis Latinorum. Die XVII mensis Maii eiusdem anni Episcopus consecratus est ab Hungariae Primate Em.mo Domino Iustiniano Serédi. A die IX mensis Aprilis anno MCMXLVIII, quo duae dioeceses coniunctae sunt, utriusque constitutus est Ordinarius. Ad vocationes sacerdotales promovendas *Opus vocationum ecclesiasticarum* instituit. Totam per vitam sustinuit onera societatis sui temporis, qua de re compulsus est ad homines oppressos et vexatos tuendos. Navitas eius alacris exstitit, ita ut, altero bello mundiali grassante, gubernium Hungariae, eo intercedente, a coacta custodia Episcopum Maramuresensem Alexandrum Rusu liberaverit. Ipse conabatur iuvare Hebraeos, congregatos in locis Hungariae et Romaniae unde transferri solebant in campos exterminationis. Prae plurimis obstaculis et oppositionibus occupantium valuit quosdam suos presbyteros liberare, qui ad arbitrium comprehensi erant. Bello fere composito, nempe mense Ianuario anni MCMXLV, apud regimen Sovieticum, quod regionem eius tune occupabat, frustra conatus est a deportatione servare fideles suos ex Germana origine. Nam iam anno MCMXLIII monuerat suos sacerdotes et christifideles de futuris consectariis post bellum, praesertim de periculo ideologiae atheismi et communismi simulque de probabili persecutione contra catholicos incitata.

Die VIII mensis Novembris anno MCMXLV Summus Pontifex Pius XII nominavit eum Episcopum Iaurinensem, in locum Episcopi martyris beati Gulielmi Apor. Ipse suam oboedientiam erga Sanctum Patrem declaravit, attamen poposcit, graves ob locales condiciones, ut manere posset in dilecta sua dioecesi. Uti Episcopus sollicitus fuit de cultu Sacratissimi Cordis Iesu diffundendo. Fidem docens, saepe egit de re mariologica, itaque suam in dioecesim festum induxit Immaculati Cordis Mariae atque anno MCMXLVIII Annum Marianum indixit. A sacerdotibus suis postulavit ne in

varias factiones politicas se immiscerent, at dolens pati debuit democraticum statum in communistarum dictaturam transformari. Die XIX mensis Iulii anno MCMXLVIII regimen Romaniae unilaterali consilio solvit concordatum cum Sancta Sede, novaque lex civilis de cultu non agnovit exsistentiam dioecesis Satmariensis-Magnovaradinensis Latinorum. Rerum adiuncta ita facta sunt magis graviora, ut regimen arbitrariam suspensionem Episcopi ab eius officio declaraverit.

Itaque Venerabilis Servus Dei coepit vitam ecclesialem variis in paroeciis clandestino disponere, ad persecutionem vitandam. Spiritales tribulationes eius auctae sunt cum insequenti anno Excellentissimus Dominus Szilárd Bogdánffy, Episcopus secrete consecratus, ac serius eius Vicarius Generalis Carolus Pakocs comprehensi sunt. Ex ea re intellexit mentem regiminis communistarum Romaniae in eo esse ut distraheret Ecclesiam Catholicam ab oboedientia erga Sanctam Sedem; ille tamen semper fidelis mansit Summo Pontifici. Die XXIII mensis Maii anno MCML translatus est in coactam custodiam apud conventum franciscalem loci *Kőrösbánya*. Nam regimen cupiebat ut ipse in Transilvania duceret Ecclesiam huius regionis, sed communione privatam cum Ecclesia Romana. Reiecto hoc proposito, comprehensus est. Primum quidem conductus est in carcerem Ministerii a negotiis internis Bucarestiensibus, deinde translatus est in subterraneum carcerem urbis *Jilava*. Coram ceteris captivis confessus est pro sacerdote catholico ignominiam non esse pati ac mori in communistarum carcere. Valetudo eius revera cito in peius ruit, ita ut, ob toleratas vexationes, in carcere obiit die VI mensis Decembris anno MCMLII, priusquam ridiculum processum a regimine paratum subiret.

Having completed an initial examination of the book *Just Love. A Framework for Christian Sexual Ethics* (New York: Continuum, 2006) by Sr. Margaret A. Farley, R.S.M., the Congregation for the Doctrine of the Faith wrote to the author on March 29, 2010, through the good offices of Sr. Mary Waskowiak — the then President of the *Sisters of Mercy of the Americas* — enclosing a preliminary evaluation of the book and indicating the doctrinal problems present in the text. The response of Sr. Farley, dated October 28, 2010, did not clarify these problems in a satisfactory manner. Because the matter concerned doctrinal errors present in a book whose publication has been a cause of confusion among the faithful, the Congregation decided to undertake an examination following the procedure for "*Examination in cases of urgency*" contained in the Congregation's *Regulations for Doctrinal Examinations* (Cfr Chap. IV, art. 23-27).

Following an evaluation by a Commission of experts (Cfr art. 24), the *Ordinary Session* of the Congregation confirmed on June 8, 2011, that the above-mentioned book contained erroneous propositions, the dissemination of which risks grave harm to the faithful. On July 5, 2011, a letter was sent to Sr. Waskowiak containing a list of these erroneous propositions and asking her to invite Sr. Farley to correct the unacceptable theses contained in her book (Cfr art. 25-26).

On October 3, 2011, Sr. Patricia McDermott, who in the meantime had succeeded Sr. Mary Waskowiak as President of the *Sisters of Mercy of the Americas*, forwarded to the Congregation — in accordance with art. 27 of the above cited *Regulations* — the response of Sr. Farley, together with her own opinion and that of Sr. Waskowiak. This response, having been examined by the Commission of experts, was submitted to the *Ordinary Session* for judgement on December 14, 2011. On this occasion, the Members of

the Congregation, considering that Sr. Farley's response did not adequately clarify the grave problems contained in her book, decided to proceed with the publication of this Notification.

1. *General problems*

The author does not present a correct understanding of the role of the Church's Magisterium as the teaching authority of the Bishops united with the Successor of Peter, which guides the Church's ever deeper understanding of the Word of God as found in Holy Scripture and handed on faithfully in the Church's living tradition. In addressing various moral issues, Sr. Farley either ignores the constant teaching of the Magisterium or, where it is occasionally mentioned, treats it as one opinion among others. Such an attitude is in no way justified, even within the ecumenical perspective that she wishes to promote. Sr. Farley also manifests a defective understanding of the objective nature of the natural moral law, choosing instead to argue on the basis of conclusions selected from certain philosophical currents or from her own understanding of "contemporary experience". This approach is not consistent with authentic Catholic theology.

2. *Specific problems*

Among the many errors and ambiguities of this book are its positions on masturbation, homosexual acts, homosexual unions, the indissolubility of marriage and the problem of divorce and remarriage.

Masturbation

Sr. Farley writes: "Masturbation... usually does not raise any moral questions at all. ... It is surely the case that many women... have found great good in self-pleasuring — perhaps especially in the discovery of their own possibilities for pleasure — something many had not experienced or even known about in their ordinary sexual relations with husbands or lovers. In this way, it could be said that masturbation actually serves relationships rather than hindering them. My final observation is, then, that the norms of justice as I have presented them would seem to apply to the choice of sexual self-pleasuring only insofar as this activity may help or harm, only insofar as it

supports or limits, well-being and liberty of spirit. This remains largely an empirical question, not a moral one" (P. 236).

This statement does not conform to Catholic teaching: "Both the Magisterium of the Church, in the course of a constant tradition, and the moral sense of the faithful have been in no doubt and have firmly maintained that masturbation is an intrinsically and gravely disordered action. The deliberate use of the sexual faculty, for whatever reason, outside of marriage is essentially contrary to its purpose. For here sexual pleasure is sought outside of the sexual relationship which is demanded by the moral order and in which the total meaning of mutual self-giving and human procreation in the context of true love is achieved. To form an equitable judgment about the subject's moral responsibility and to guide pastoral action, one must take into account the affective immaturity, force of acquired habit, conditions of anxiety, or other psychological or social factors that lessen or even extenuate moral culpability".[1]

Homosexual acts

Sr. Farley writes: "My own view... is that same-sex relationships and activities can be justified according to the same sexual ethic as heterosexual relationships and activities. Therefore, same-sex oriented persons as well as their activities can and should be respected whether or not they have a choice to be otherwise" (P. 295).

This opinion is not acceptable. The Catholic Church, in fact, distinguishes between persons with homosexual tendencies and homosexual acts. Concerning persons with homosexual tendencies, the *Catechism of the Catholic Church* teaches that "they must be accepted with respect, compassion, and sensitivity. Every sign of unjust discrimination in their regard should be avoided".[2] Concerning homosexual acts, however, the Catechism affirms: "Basing itself on Sacred Scripture, which presents homosexual acts as acts of grave depravity, tradition has always declared that homosexual acts are intrinsically disordered. They are contrary to the natural law. They close the sexual act to

[1] *Catechism of the Catholic Church*, n. 2352; cfr Congregation for the Doctrine of the Faith, Declaration *Persona humana* on Certain Questions Concerning Sexual Ethics (December 29, 1975), n. 9: *AAS* 68 (1976), 85-87.

[2] *Catechism of the Catholic Church*, n. 2358.

the gift of life. They do not proceed from a genuine affective and sexual complementarity. Under no circumstances can they be approved".[3]

Homosexual unions

Sr. Farley writes: "Legislation for nondiscrimination against homosexuals, but also for domestic partnerships, civil unions, and gay marriage, can also be important in transforming the hatred, rejection, and stigmatization of gays and lesbians that is still being reinforced by teachings of 'unnatural' sex, disordered desire, and dangerous love. ... Presently one of the most urgent issues before the U.S. public is marriage for same-sex partners — that is, the granting of social recognition and legal standing to unions between lesbians and gays comparable to unions between heterosexuals" (P. 293).

This position is opposed to the teaching of the Magisterium: "The Church teaches that the respect for homosexual persons cannot lead in any way to approval of homosexual behavior or to legal recognition of homosexual unions. The common good requires that laws recognize, promote and protect marriage as the basis of the family, the primary unit of society. Legal recognition of homosexual unions or placing them on the same level as marriage would mean not only the approval of deviant behavior, with the consequence of making it a model in present-day society, but would also obscure basic values which belong to the common inheritance of humanity. The Church cannot fail to defend these values, for the good of men and women and for the good of society itself".[4] "The principles of respect and non-discrimination cannot be invoked to support legal recognition of homosexual unions. Differentiating between persons or refusing social recognition or benefits is unacceptable only when it is contrary to justice. The denial of the social and legal status of marriage to forms of cohabitation that are not and cannot be marital is not opposed to justice; on the contrary, justice requires it".[5]

[3] *Catechism of the Catholic Church*, n. 2357; cfr *Gn* 19:1-29; *Rm* 1:24-27; *I Cor* 6:10; *1 Tm* 1:10; Congregation for the Doctrine of the Faith, Declaration *Persona humana*, n. 8: AAS 68 (1976), 84-85; Id., Letter *Homosexualitatis problema* on the Pastoral Care of Homosexual Persons (October 1, 1986): *AAS* 70 (1987), 543-554.

[4] Congregation for the Doctrine of the Faith, *Considerations regarding proposals to give legal recognition to unions between homosexual persons* (June 3, 2003), n. 11: *AAS* 96 (2004), 48.

[5] *Ibid.*, n. 8: *AAS* 96 (2004), 46-47.

Indissolubility of marriage

Sr. Farley writes: "My own position is that a marriage commitment is subject to release on the same ultimate grounds that any extremely serious, nearly unconditional, permanent commitment may cease to bind. This implies that there can indeed be situations in which too much has changed — one or both partners have changed, the relationship has changed, the original reason for commitment seems altogether gone. The point of a permanent commitment, of course, is to bind those who make it in spite of any changes that may come. But can it always hold? Can it hold absolutely, in the face of radical and unexpected change? My answer: sometimes it cannot. Sometimes the obligation must be released, and the commitment can be justifiably changed" (Pp. 304-305).

This opinion is in contradiction to Catholic teaching on the indissolubility of marriage: "By its very nature conjugal love requires the inviolable fidelity of the spouses. This is the consequence of the gift of themselves which they make to each other. Love seeks to be definitive; it cannot be an arrangement 'until further notice'. The intimate union of marriage, as a mutual giving of two persons, and the good of the children, demand total fidelity from the spouses and require an unbreakable union between them. The deepest reason is found in the fidelity of God to his covenant, in that of Christ to his Church. Through the sacrament of Matrimony the spouses are enabled to represent this fidelity and witness to it. Through the sacrament, the indissolubility of marriage receives a new and deeper meaning. The Lord Jesus insisted on the original intention of the Creator who willed that marriage be indissoluble. He abrogates the accommodations that had slipped into the old Law. Between the baptized, a ratified and consummated marriage cannot be dissolved by any human power or for any reason other than death".[6]

Divorce and remarriage

Sr. Farley writes: "If the marriage resulted in children, former spouses will be held together for years, perhaps a lifetime, in the ongoing project of

[6] *Catechism of the Catholic Church*, nn. 1646-1647, 2382; cfr *Mt* 5:31-32; 19:3-9; *Mk* 10:9; *Lk* 16:18; *1 Cor* 7:10-11; Second Ecumenical Vatican Council, Pastoral Constitution *Gaudium et spes* on the Church in the Modern World, nn. 48-49; *Code of Canon Law*, can. 1141; John Paul II, Apostolic Exhortation *Familiaris consortio* on the Role of the Christian Family in the Modern World (November 22, 1981), n. 13: *AAS* 74 (1982), 93-96.

parenting. In any case, the lives of two persons once married to one another are forever qualified by the experience of that marriage. The depth of what remains admits of degrees, but something remains. But does what remains disallow a second marriage? My own view is that it does not. Whatever ongoing obligation a residual bond entails, it need not include a prohibition of remarriage — any more than the ongoing union between spouses after one of them has died prohibits a second marriage on the part of the one who still lives" (P. 310).

This view contradicts Catholic teaching that excludes the possibility of remarriage after divorce: "Today there are numerous Catholics in many countries who have recourse to civil divorce and contract new civil unions. In fidelity to the words of Jesus Christ — 'Whoever divorces his wife and marries another, commits adultery against her; and if she divorces her husband and marries another, she commits adultery' (*Mk* 10:11-12) —, the Church maintains that a new union cannot be recognized as valid, if the first marriage was. If the divorced are remarried civilly, they find themselves in a situation that objectively contravenes God's law. Consequently, they cannot receive Eucharistic communion as long as this situation persists. For the same reason, they cannot exercise certain ecclesial responsibilities. Reconciliation through the sacrament of Penance can be granted only to those who have repented for having violated the sign of the covenant and of fidelity to Christ, and who are committed to living in complete continence".[7]

Conclusion

With this Notification, the Congregation for the Doctrine of the Faith expresses profound regret that a member of an Institute of Consecrated Life, Sr. Margaret A. Farley, R.S.M., affirms positions that are in direct contradiction with Catholic teaching in the field of sexual morality. The Congregation warns the faithful that her book *Just Love. A Framework for Christian Sexual Ethics* is not in conformity with the teaching of the Church. Consequently it cannot be used as a valid expression of Catholic teaching, either in counseling and formation, or in ecumenical and interreligious dialogue. Furthermore the Congregation wishes to encourage theologians to pursue

[7] *Catechism of the Catholic Church*, n. 1650; cfr John Paul II, Apostolic Exhortation *Familiaris consortio*, n. 84: *AAS* 74 (1982), 184-186; Congregation for the Doctrine of the Faith, Letter *Annus Internationalis Familiae* Concerning the Reception of Holy Communion by the Divorced and Remarried Members of the Faithful (September 14, 1994): *AAS* 86 (1994), 974-979.

the task of studying and teaching moral theology in full concord with the principles of Catholic doctrine.

The Sovereign Pontiff Benedict XVI, in the Audience granted to the undersigned Cardinal Prefect on March 16, 2012, approved the present Notification, adopted in the Ordinary Session *of this Congregation on March 14, 2012, and ordered its publication.*

Rome, from the Offices of the Congregation for the Doctrine of the Faith, March 30, 2012.

William Cardinal Levada
Prefect

✠ Luis F. Ladaria, S. I.
Titular Archbishop of Thibica
Secretary

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

VALENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Faustini Pérez-Manglano Magro, Alumni ac Postulantis Societatis Mariae (1946-1963)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Scripsi vobis, adulescentes: Fortes estis, et verbum Dei in vobis manet» (*1 Io* 2, 14).

Haec beati Ioannis apostoli verba adhuc hodierno die multorum in animis iuvenum vigent, «qui spes sunt Ecclesiae» (*Conc. Oec. Vat. II*, Declaratio de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 2) et «ad perfectionem sanctitatis qua Pater ipse perfectus est, sua quisque via, a Domino vocantur» (*Ib.*, Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 11). Inter quos eminet Servus Dei Faustinus Pérez-Manglano Magro, qui e vita concessit paulo antequam Patres Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II declarationes illas promulgarent, dum ultima pia sua exercitia spiritualia peragebat, bimestre ante mortem, scribens: «Sanctitas est Deum diligere: quod autem cum Maria valde expedit».

Servus Dei Valentiae in Hispania die 4 mensis Augusti anno 1946 natus est et die 25 ad sacramentum Baptismatis ductus est in ecclesiae paroeciali Sancti Stephani protomartyris. Parentes Faustinus et Maria ab Incarnatione more christiano educaverunt eum. Primam puerilem institutionem in Collegio Lauretano Sororum a Sacra Familia recepit; inde Valentiae Collegium Dominae Nostrae a Columna ingressus est, quod religiosi Societatis Mariae dirigebant. Lucenti, ubi mater eius orta erat, Christum primum communicavit; deinde sacramentum Confirmationis apud Collegium Marianistarum suscepit. Hoc tempore coram Beata Maria Virgine pietatis causa eam corona mariali cotidie prosequi spopondit, quod totam per vitam perfideliter explens profundam atque intimam consuetudinem cum Iesu et Maria est expertus.

Prae oculis omnium ordinaria iuvenis coaetanei conversatio vita eius videbatur: propense ad maiora studebat, corporis exercitationes amabat, sicut et excursiones per montes et natationes, aulas cinematographicas et fabulas.

Prout fieri poterat, Eucharistiam sumebat et amorem Mariae adeo colebat, ut Congregationi Marianistae se sociaret et spirituale propositum omni bono iugiter consentiendi sibi imponeret.

Quapropter, mense Octobri anni 1959, dum pia spiritualia exercitia explebat, divina vocatione ad vitam religiosam inter Marianistas agendam percepta, dominicae quoque voluntati benigne consensit, quam paulatim perficiens tamquam verum Virginis donum habuit, dicens: « Praemium omnibus bonis huius mundi praestantissimum, quod Maria ob diutinam fidelitatem in sancto Rosario benigne concessit ».

Propositum suipsius Deo oblationis in servitium proximi vitae eius spirituali valde profuit: fervore enim missionum emicuit et omnes socii unanimiter sedulitatem eius oblivionemque sui pro aliorum bono dilaudaverunt, inter quos notandum est auxilium praestitum iuveni cuidam coaetaneo, qui difficillimis in adiunctis versabatur.

Mense Februario anni 1961, infausta diagnosis ei edicta est morbi nomine « Hodgkin » seu tumoris gangliorum lymphaticorum, cui animi fortitudine restitit. Remedia medicorum primum ita aliquantulum profuerunt, ut iuvenis Servus Dei omnibus fere lectionibus scholastici anni adesse valuerit. Lapurdum una cum infirmis Nosocomii Valentini felicissimus peregrinatus est. Numquam questus est: « Si alios — aiebat — nunc magis quam me pati cogitem, queri mihi non licere intellego ». Ceterum iam inde ab infantia intimam ad Passionis Domini contemplationem ostenderat propensionem, cuius imago eum valde corroborabat; numquam subrisio etiam inter gravissima defuit illi, sicut multi obtestabantur dicentes: « Nihil passionis eius videbatur, cum omnia subridens velaret ».

Mense Ianuario anni 1963 impotentiam suam coram morbo medici agnoverunt. Moderator spiritualis eum de proximo exitu vitae admonuit, quem Faustinus summa cum aequitate animi audivit, laetus sacramentum unctionis infirmorum recipiens et ad sanctae Communionis unum solacium omni sollicitudine recurrens. Die dominica 3 mensis Martii anno 1963, Eucharistia percepta, moderator spiritualis varia commisit ei munera in caelis adimplenda, inter quae infelicium parentum consolationem atque auxilium iuvenibus sacerdotali vel religiosa vocatione suffultis suppeditandum. Quae vero se expleturum esse mira simplicitate respondit. Patiens, nummum cum effigie Virginis in manibus astringens, dicebat: « Valde mihi prodest! ». Et semihora ante mediam noctem eiusdem diei inter brachia matris animam Deo reddidit.

Eius sanctitatis fama confestim increvit, amicis et sociis scholae adiuvantibus. Archiepiscopus Valentinus numquam dubitavit, quin eum cum sancto

Dominico Savio compararet et orationem ad intercessionem eius postulandam approbavit. Narratio vitae et conversationis, quarum hodie versiones in decem linguas exstant, magnum erga operam eius adeo sevit favorem, ut iuvenes senesque plurimi ad evangelica praecepta per has lectiones magis inflammatos se sentirent, aliique Servi Dei exemplum valde ipsorum vocationi profecisse affirmarent.

Ob Servi Dei sanctitatis famam, Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Archiepiscopalem Valentinam inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 17 mensis Octobris anno 1986 ad diem 14 mensis Decembris anno 1990, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 4 mensis Octobris anno 1991 probatae sunt. *Positione* confecta, die 27 mensis Novembris anno 2009 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 14 mensis Decembris anno 2010, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Edmundi Farhat, Archiepiscopi titularis Bybliensis, Causae Ponentis, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Faustini Pérez-Manglano Magro, Alumni et Postulantis Societatis Mariae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Ianuarii A.D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. el. Mevaniensis, *a Secretis*

CAMPANIENSIS in BRASILIA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Franciscae de Paula de Jesus v. dictae « Nhá Chica », Christifidelis Laicae (1808-1895)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis » (*Lc* 10, 21).

Famula Dei Francisca de Paula de Jesus, v. d. *Nhá Chica* seu amita Francisca, anno 1808 in urbe Sancto Ioanne a Rege nata est in Fodinis Generalibus in Brasilia, filia naturalis alicuius servae. Puella, a matre preces et religionis praecepta didicit; sed, cum mulier et serva esset, nullam scholasticam educationem accipere potuit. Adulescens, a captivitate liberata, una cum matre et fratre Theotonio ad urbem v.d. *Baependi*, quae illo tempore pleno progressu gaudebat, se contulit, ubi, paucos post menses, parentibus orbata est. Mater moriens ad solitariam vitam gerendam ei commendaverat, quo melius et caritatem adhiberet et fidem christianam servaret: ita, cum multas rogationes connubii reciperet, Francisca eas reiecit, putans se aliam expleturam esse missionem. In parva domo sola vivere apud vicum *Baependi* permansit, ut, pauper inter pauperes, se precationi miserorumque curae traderet. Sedulitas erga Deum eam impulit ad coetus cotidianae vel hebdomadalis precationis constituendos inter loci gentes, ad cenam octavo quoque die pauperibus offerendam, ad stipes egenis largiendas. Mox humillima « pauperum mater », uti vocabatur, facta est, parata ad excipiendos omnes eam appropinquantes, ut peterent preces, consilia et solacium. Sola fides duxit eam ad locupletem et expeditam vitam deponendam pro bono fratrum. Illa vera lucerna posita in candelabro facta est: etenim, cum olim serva et a servis orta esset, apud se gentes omnis generis et politicae inclinationis attraxit, quae illam Dei mulierem videbant fide caritateque plenam. Domus eius per septuaginta quinque annos fuit frequentata ab humilibus et a consiliariis imperii, a pueris et a claris peritis, a pauperibus et a divitibus, qui veniebant non modo e Fodinis Generalibus et ab urbe capite tunc temporis Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii. Cives multi, qui ad proximas thermas vici *Caxambu* se conferebant, illam domum visitabant, primum curiositate ducti, deinde semper magis persuasi ut aures praeberent consiliis eius. Et

illa, magna cum simplicitate, omnibus respondebat, ut quondam dixerat: « Expleo id quod mihi Beata Virgo Maria dicit et nihil magis », candide adiungens: « Ego precor et Beata Virgo Maria audit me et respondet mihi » vel « Spiritus dat mihi consilium ».

Frater eius, mortuus anno 1862, illam omnium bonorum suorum heredem designavit. Copiosa illa hereditate Serva Dei beneficas operas auxit, inter quas aedificationem parvae ecclesiae Immaculatae Conceptioni dicatae, quam Beata Virgine inspirante efficere voluit, tanti incepti participes faciens omnes qui eam frequentabant.

Die 8 mensis Iulii anno 1888 necessitatem percepit se omnibus bonis exuendi quae uti heres possidebat, dictans testamentum in quo bona sua Paroeciae reliquit et sollicite curavit ut monitum daret de omnibus quae vendenda et largienda pauperibus essent.

Spiritualitas Servae Dei maxime evangelica virtute emicuit, quoniam solum amori Dei et proximi est innisa, qui provenit ex simplici natura eius, sine ulla docta aut speculativa indole.

Nhá Chica die 12 mensis Iunii anno 1895, meritis ornata, mortua est. Corpus eius in ecclesia matre vici *Baependi* occurrentibus per quattuor dies expositum est, nullum signum dissolutionis ostendens: sic plurimis fidelibus concessum est ut ultimam salutationem ei facerent. Deinde in aedicula ab illa aedificata corpus sepultum est.

Causa, ad eam in Sanctorum numerum referendam, instructa est ob sanctitatis continuam et crescentem famam: Inquisitio dioecesana a die 10 mensis Octobris anno 1993 ad diem 31 mensis Maii anno 1995 apud Curiam Episcopalem Campaniensem in Brasilia instituta est, inde anno 1998 opportunum addere reputatum est Instructoriam Suppletivam, quarum validitas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 12 mensis Martii anno 1999 probatae sunt. Cum Causa antiqua esset, *Positio* primum in Congressu Consultorum Historicorum disputata est die 30 mensis Octobris anno 2001 et inde die 8 mensis Iunii anno 2010 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 11 mensis Ianuarii anno 2011, audita relatione Causae Ponentis, Exc.mi D.ni Laurentii Chiarinelli, Episcopi emeriti Viterbiensis, professi sunt Servam Dei virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua,

vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Franciscae de Paula de Jesus (v.d. « Nhá Chica »), Christifidelis Laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Ianuarii A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. el. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VRHBOSNENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servarum Dei Mariae Iuliae Ivanišević et IV Sociarum, Congregationis Filiarum a Caritate Divina († 15-23.XII.1941)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio an angustia an persecutio an fames an nuditas an periculum an gladius? Sed in his omnibus supervincimus per eum, qui dilexit nos » (*Rom* 8, 35. 37).

His Pauli apostoli verbis perspicue ostenditur martyrium Servarum Dei sororis Mariae Iuliae Ivanišević eiusque quattuor sociarum, quae *Martyres Drinenses* appellantur: persecutionem, enim, subierunt propter immanem doctrinam antireligiosam cetnicorum atque, testimonium de Christo ac de propria consecratione perhibentes, sanguinem effuderunt. Rerum contextus in quo illae vitam gesserunt — primo nempe dimidio XX saeculi — implacabili notatus est odio adversus fidem, quod gentes Bosniae Orientalis affecit.

Peculiarem in modum pertinacia in sacerdotes, personas consecratas et sacra aedificia atrociter intulit.

Servae Dei pertinebant ad Congregationem Filiarum a Caritate Divina et ad Provinciam "Divinae Providentiae", cuius sedes tunc Vrhbosnae posita erat. Earum caritatis opera omnibus incolis illius regionis notissima erant: praesertim magni aestimabatur servitium gratuitum et pauperibus cuiuslibet ordinis ac religiosae fidei deditum, ita ut earum conventus, in vico *Pale* exstans, "Hospitium Pauperum" appellaretur. Hac in sede soror Maria Iulia eiusque quattuor consorores miram egerunt vitam, oratione suffultam et operibus beneficentiae confirmatam. Earum opus in oecumenica pastoralique re necnon in caritatis exercitio usque ad diem sequestrationis perduravit. Belli et persecutionis non obstantibus periculis, illae minime se retraxerunt, sed in fide tuenda et in votis servandis constantes perstiterunt. Haec enim constantia veluti Servarum Dei anticipatio exstitit ad martyrium amplectendum.

Postmeridianis horis diei 11 mensis Decembris anno 1941, quidam cetnici in conventum irruperunt, illum vastantes et incendio delentes; deinde comprehenderunt quinque sorores, coactas ad iter longum sex et sexaginta chilometra super nivem percurrendum. Senior ex illis, soror Berchmana, in oppido *Sjetlina* consistere debuit, dum ceterae in pagum *Garažde* pervenerunt. Hic enim, ad stativa castra translatae, omne genus contumeliis vexatae sunt et minationibus, quas in spe et aequo animo sustinuerunt, optantes propriam dignitatem et votum castitatis magis quam libertatem et vitam tueri. Sica necatae sunt die 15 mensis Decembris anno 1941; altera vero aliquot post dies interfecta est.

Harum Servarum Dei, quae coniunctae cum Domino crucifixo sanguinem effuderunt, biographicam descriptionem breviter exhibemus.

Serva Dei *soror Maria Iulia Ivanišević*, moderatrix communitatis loci *Pale*, nata est in oppido *Godinjak*, apud Novam Gradiškam in Croatia, die 25 mensis Novembris anno 1893. Admissa in Congregationem Filiarum a Caritate Divina in urbe Vrhbosna, anno 1923 perpetua vota nuncupavit. In vitae suae decursu varia implevit officia, qualia sunt domestici labores, onerosa agri cultura, immo quarundam communitatum moderamen. Cum Deo in oratione iugiter coniuncta, inter omnes pacem et bonum diffundebat. Ardentem amorem, quem erga communitatem suam nutriebat, die sequestrationis ostendere potuit, die nempe 11 mensis Decembris anno 1941. Illo quidem die e domo aberat. Sed, cum sciret de instanti sororum periculo, solas relinquere

noluit, sed festinans in conventum se contulit, ubi capta est. Duodequinquaginta annos nata, in pago *Goražde* die 15 mensis Decembris anno 1941 martyrium consummavit.

Serva Dei *soror Maria Berchmana Carolina Anna Leidenix* in oppido *Enzersdorf*, prope Vindobonam, ortum habuit die 28 mensis Novembris anno 1865. A iuvenili aetate religiosam persensit vocationem et in Congregationem accepta est. Postquam vota anno 1883 nuncupaverat, in Bosniam missa est, ubi totam per vitam est commorata. Magistrae munus exercens se dedit pueris erudiendis iisdemque catechesi tradendae. Officia insuper explicavit moderatricis et magistrae noviciarum. Oecumenico spiritu peculiariter eminuit. In oppido *Ejetlina* interempta est die 23 mensis Decembris anno 1941, cum aetatis annos ageret sex et septuaginta.

Serva Dei *soror Maria Krizina Iosepha Bojanc* primam lucem aspexit in oppido *Zbure*, apud viciniam Novae Urbis, in Slovenia, die 14 mensis Maii anno 1885. Adulta iam aetate Congregationem ingressa est et anno 1926 perpetua vota emisit. Ad domestica et rustica officia destinata, diversis in locis Bosniae vitam duxit. Modus sese gerendi insignitus est spiritu oboedientiae et sollicitudinis erga proximum. Timida indole ditata, patiens tamen erat et omnino Dei voluntati dedita. In pago *Goražde* simul cum ceteris sororibus martyrio coronata est, cum aetatis sex et quinquaginta ageret annos.

Serva Dei *soror Maria Antonia Iosepha Fabjan* die 23 mensis Ianuarii anno 1907 orta est in oppido *Malo Lipje*, non longe a Nova Urbe in Slovenia. Adulescens orphana mansit et ad vitam consecratam vocari persensit; itaque anno 1929 Congregationem amplexa est. Anno 1937 perpetuam fecit professionem. Deinde in hortum et agros colendos operam impendit et etiam in domesticos labores. Spiritu oboedientiae et humilitatis praecipue eminuit. Etiam in pago *Goražde* die 15 mensis Decembris anno 1941 martyrii palmam accepit, quattuor et triginta aetatis annos nata.

Serva Dei *soror Maria Bernadeta Teresija Banja* primum lumen vidit die 17 mensis Iunii anno 1912 in oppido *Veliki Grdevac*, in Croatia, e parentibus Hungaris. Vocationem ab infantia percipiens ad Iesum sequendum in vita consecrata, excepta est in Congregationem. Temporariis votis Deo se consecravit anno 1932. Deinde in communitatem Palensem translata est ut officium coquae ibidem exsequeretur. Consorores eius testatae sunt Servam Dei oboedientem fuisse, patientem et admodum diligentem necnon in opere indefessam. Undetriginta annos nata, martyrium passa est simul cum ceteris sororibus in pago *Goražde* die 15 mensis Decembris anno 1941.

Fama martyrii harum quinque sororum perpensa, die 4 mensis Decembris anno 1999 Curia Archidioecesana Vhrbosnensis intuitu beatificationis dioecesanam instruxit Inquisitionem, quae post tres annos conclusa est, cuius iuridicam validitatem Congregatio de Causis Sanctorum approbavit Decretum edens die 13 mensis Iunii anno 2003.

Apparata *Positione*, disceptatum est de coniecto Servarum Dei martyrio. Consultores Historici sententiam tulerunt die 17 mensis Martii anno 2009. Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum habitus est cum exitu positivo die 24 mensis Februarii anno 2010. Purpurati Patres et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 14 mensis Decembris anno 2010 congregati, audita relatione Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Raphaelis Martinelli, Episcopi Tusculani, edixerunt Servas Dei in odium fidei martyrium subiisse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servarum Dei Mariae Iuliae Ivanišević et IV Sociarum, Congregationis Filiarum a Caritate Divina, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Ianuarii A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. el. Mevaniensis, *a Secretis*

EPOREDIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Antoniae Mariae Verna, Fundatricis Instituti Caritatis ab Immaculata Conceptione v. d. «d'Ivrea» (1773-1838)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Antonia Maria Verna die 12 mensis Iunii anno 1773 Provinciae Taurinensis in pago vulgo *Pasquaro*, ex municipio *Rivarolo Canavese*, ortum habuit a parentibus christiana fide penitus immersis. Inde a pueritia vitam ostendit omnino devotam et deditam observandae caritati praesertim erga pueros ad fundamenta christianae doctrinae formandos.

Circa annum 1796 ad vitam orationis intenta, privato virginitatis voto emisso, in oppidum *Rivarolo Canavese* se contulit ut per apostolatum catecheticam instructionem exsequeretur, ad assistentiam pauperibus infirmis praestandam in eorum domiciliis et ad erudiendas iuvenes omni instructione carentes.

Annus 1806 prima exstitit occasio qua Venerabilis Dei Serva consilium cepit novum religiosum Institutum condendi. Id tamen ut ad rem perduceret, plures annos exspectare debuit et haud paucas difficultates superare necnon obstacula a civilibus et aliquando quoque a religiosis auctoritatibus interposita.

Die 27 mensis Novembris anno 1835 Episcopus Eporediensis novum approbavit Institutum, appellatum «Sororum a Caritate sub titulo Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis Mariae». Progrediens in humilitate et in suiipsius deditione, die 25 mensis Decembris anno 1838 in oppido *Rivarolo* Antonia Maria suam consummavit terrestrem exsistentiam.

Ad Beatificationem parandam, Postulatio Causae iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum coniectam exhibuit miram sanationem Sororis Mariae Caietanae (Iosephinae) Corbella, Constantinopoli natae die 20 mensis Aprilis anno 1877.

Soror haec, sodalis Instituti Sororum a Caritate Immaculatae Conceptionis, in oppido *Eporedia*, sana cum sit et valida physica constitutione, die 26 mensis Octobris anno 1947 aegrotare coepit, ostendens variationem temperaturae corporis et irritantem tussim. Quamvis therapia adhibita esset, conspectus eius clinicus in peius ruebat ita ut summam febrim revelaret et

gravitatem respirandi. Die 15 mensis Novembris ex integra thoracis analysi quaedam obtusitatis regio detecta est in dimidio inferiore pulmonis dextri, quocirca therapia antibiotica per penicillinam praescripta est. Sequens analysis thoracis, peracta die 3 mensis Decembris eiusdem anni 1947, induxit ad statuendam diagnosim bronchopulmonitis cum abscessu pulmonario. Novus cyclus therapiae cum penicillina aegrotanti applicatus est, attamen perstiterunt elata temperatura, dispnoea, tussis assidua et insufficientia cordis cum gravi vitae discrimine aegrotantis.

Sorores communitatis, die Nativitatis Domini, ipsa in anniversaria memoria pii transitus Matris Antoniae, per eius intercessionem preces effundere coeperunt ad sanationem Sororis Mariae Caietanae assequendam, et earum participes fecerunt hospites quoque convictus et pueros Instituti.

Die 26 mensis Decembris medicus infaustum edixit exitum ad breve tempus et suasit ut illi infirmorum Unctio administraretur.

Attamen, currente nocte inter dies 26 et 27 eiusdem mensis, Soror Caietana inopinate convaluit: noctem transegit satis placida et mane hora sexta est exspergefacta ita proferens: «Mater Antonia sanavit me!». Etenim medicus, qui die 27 eiusdem mensis circa horam septimam ad infirmam visitandam se contulerat, in normali statu invenit eam, quoniam eius tussis erat fere dilapsa, quapropter restitutam agnovit sanationem.

Soror Maria Caietana consueta opera resumpsit; et examen radiographicum, die 18 mensis Ianuarii anno 1948 peractum, notabilem bonae valetudinis progressionem revelavit in comparatione inspectionum praecedentium; tandem sanationem confirmavit.

Processus dioecesanus habitus est apud Curiam Curiensem in Helvetia a die 24 mensis Maii ad diem 1 mensis Iunii anni 1966, cuius validitatem approbavit Congregatio de Causis Sanctorum Decretum edens die 27 mensis Maii anno 1994.

Consilium Medicorum in Sessione diei 4 mensis Martii anno 2010, unanimi ex consensu sanationem Sororis Mariae Caietanae Corbella agnovit instantaneam fuisse, perfectam ac constantem et ex scientia medica inexplicabilem *quoad modum*.

Die 15 mensis Iulii anno 2010 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, qui ex sententiarum consensu, in sanatione sororis Mariae Caietanae Corbella agnoverunt intercessionem apud Deum Venerabilis Servae Dei Antoniae Mariae Verna.

Denique die 14 mensis Decembris anno 2010 celebrata est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Exc.mo D.no Marcello Semeraro, Episcopo Albanensi.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Antoniae Mariae Verna, Fundatricis Instituti Sororum ab Immaculata Conceptione v. d. « d'Ivrea », videlicet de instantanea, perfecta ac constanti sanatione Sororis Mariae Caietanae Corbella a « broncopolmonite acuta ad evoluzione ascessuale con grave compromissione generale »*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Ianuarii A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. el. Mevaniensis, *a Secretis*

MARIANOPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Adolfi Chatillon (in religione: Theophanii Leonis), ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum (1871-1929)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad defensionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est spe » (*1 Pe* 3, 15).

Adolfus Chatillon, Dei Servus, religiosus vir, suae vocationis suique charismatis amantissimus fuit, quippe qui cotidianis officiis fideliter exsequendis, et is quidem contento studio, tum sanctae precationis, tum operae egentissimo cuique navandae, quamdiu vixit, totum se Deo devoveret.

Hic Dei Famulus die 31 mensis Octobris anno 1871, Nicolaëti, in Canada piissimo Christiano genere natus est. In litterarium ludum, in sua paroecia, primum itavit, postea in praeparatorium ludum, qui apud collegium ac seminarium eiusdem urbis nomen dedit. Matre autem anno 1880 demortua, studiorum curriculum continuavit Adolfus in collegiis, quibus pariter praeerant Fratres Scholarum Christianarum, primum in loco vulgo *La-Baie-du-Febvre*, deinde vero in loco *Yamachiche*. Per idem tempus, firmum consilium, ut totum se Deo in eodem Instituto manciparet, adulescentulus in animo agitavit: quod quidem cum postulasset, Marianopoli in novitiorum tirocinium acceptus, induto religionis habitu, sibi Theophanio Leoni nomen sumpsit. Qui, post vota temporaria die 9 mensis Iulii anno 1889 nuncupata, tandem die 12 mensis Iulii anno 1900, ex sollemni votorum formula sacrum iniit sodalicium.

Paulo post iussus est in compluribus domibus eiusdem Instituti docere. Ceterum virum ad educandum peritissimum firmaque integritate pollentem, etiam ad curandos instituendosque adulescentes, qui religiosam vitam inter Fratres Scholarum Christianarum affectabant, antistites delegerunt. Quo gravi munere fungens Adolfus, cum decennio inter iuniores novitios, et Marianopoli in novitiorum tirocinii sede, sedicem annos fuisset, omni vero tempore cum summam sapientiam, tum prudentiam ac intellegentiam adhibuit.

Qui porro, dum inter sodales fuit, magna qua praeditus erat fide eminuit; quam ipse constanter auxit orando perpetuoque monendo de praesentia Dei, ad Cuius numen sine ulla exceptione accedere volebat. Hic enim, Lasallianum charisma penitus exprimens, in cotidianae vitae ratione ad fastigium virtutis usque contendere visus est, quippe qui in omnes, et maxime in sodales, in novitios inque iuniores discipulos, humilitate et caritate uteretur. Omnibus autem rerum adiunctis ea, quae cunctis discipulis suis vere prodessent, semper petivit Adolfus; iisque cum ad humana, tum ad christiana praecepta instituendis educandisque, singularem cuiusque indolem summa observantia prosecutus, tamen perpetuam severitatem adhibuit. Praeterea sua ipse prudentia et consilio effecit ut multi, de sua vocatione forte dubitantes, ad bonam frugem se aliquando revocarentur. Hic enim absque tumultu,

magnificis rationibus contemptis, immo potius dulce ridenti ore, multis in sua vocatione discernenda proficientibus veluti praeclarum exstitit lumen. Denique castimoniae virtutem potissimum dilexit.

Idem vero, utpote multiplici insignique pollens periculo, anno 1923, creatus est Visitator Generalis Domorum adulescentibus instituendis in America Septentrionali. Cum autem, anno 1928, in oppidum, quod Belgae vulgo *Lembecq-Lez-Hal* appellant, in generale comitium venisset, prima ipse eius morbi indicia, quo moriturus erat, animadvertit. Inde gravi intestinorum tumore cognito, statim Lutetiam Parisiorum adductus est, scilicet qui sectione chirurgica, eaque periculosa, curaretur; quae tamen ad causam infirmitatis amovendam nihil profuit. Itaque prae insanabili morbo, cum extrema huius vitae momenta iam adesse sentiret, divinae providentiae totum se tradens, Passionisque Christi consors factus, omnibus exemplo ac testimonio fuit. In Canadam autem reversus, placidissimo obitu decessit Adolfus die 28 mensis Aprilis anno 1929, in Domo, quae apud locum v. d. *Laval-des-Rapides*.

Increbrescente eius sanctimoniae fama, in Curia Marianopolitana, a die 1 mensis Decembris, anno 1987, ad diem 31 mensis Martii anno 1990, Inquisitio dioecesana est instructa; cuius vim haec Congregatio de Causis Sanctorum ratam habuit per Decretum die 16 mensis Novembris anno 1991, latum. *Positione* confecta, more tralaticio disceptatum est num Dei Servus christianas virtutes, easque heroico in gradu, exercuisset. Die autem 18 mensis Iunii anno 2010, habitus est, cunctis quidem suffragiis, Peculiaris, qui dicitur, Consultorum Theologorum Congressus. Amplissimus denique Purpuratorum Patrum et Antistitum coetus, in Sessione Ordinaria, quae die 22 mensis Martii hoc anno 2011, gesta est, audita relatione Exc.mi D.ni Antonii Stankiewicz, Episcopi titulo Novapetrensis, Causae Ponentis, pronuntiavit hunc Dei Servum theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico in gradu exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Adolfi Châtillon (in relig.: Theophanii Leonis), Fratris Professi Fratrum Scholarum Christianarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Aprilis A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

TRANENSIS et BAROLENSIS seu BARENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Clarae a S. Teresia a Iesu Infante (in saec.: Vincentiae Damato), Monialis professae Ordinis a Sancta Clara Assisiensi (1909-1948)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Mea infirmitate, in Hostiam illam innixa, ut hostia fiam ipsa contendo. Secretum omne habes ».

Quibus dictis Maria Clara a Sancta Teresia a Iesu Infante, Dei Ancilla, cum Sacramenta in ipso mortis articulo reciperet, hanc vitam conclusit; iisdem vero eius animi res plane describitur, quippe quae, sese Domino mancipatam penitus experta, omnem vitam suam in oblationem ac sacrificium converterit.

Haec Dei Ancilla Baruli, quam urbem Itali vulgo *Barletta* nominant, rustico genere nata est die 9 mensis Novembris anno 1909, cum tamen subsequenti die 12 eiusdem mensis in tabulas censorias referretur; die autem 25 mensis Novembris eodem anno, cum ibidem, in paroecia Sancti Sepulcri, baptismate sancto rite ablueretur, nomen ei Vincentiae inditum est. Hanc igitur, octavo e liberis quattuordecim loco genitam, studio ac tranquillitate sui prosecuti sunt; quae quidem res ad formandum eius mite suaveque ingenium, idemque promptum ad amicitiam complurium puellarum eiusdem aetatis, contulerunt. Praecipua vero apud eam auctoritate valuit Maria mater, matura magnaeque fidei matrona, unaque ex Adoratricibus Augusti Altaris Sacramenti, quae piissima sodalitas in ea paroecia erat: hinc enim Dei Ancilla

in Eucharistia vere praesentem Iesum singulari dilectione prosequi didicit, quem postea, cum decimum aetatis annum ageret, primum recepit. Ceterum septem octove fere annorum puella, utpote Deum sitiens, Ioachimo fratre comitante, rus, « ad eremiticam scilicet vitam agendam », confugere temptavit; quod quidem factum, quam denique ipsi vitae condicionem essent delecturi, indicio fuit.

Cum autem in templo, Sacratissimae Familiae dicato, quod tunc inter ipsa initia versabatur, ad operam paroeciae navandam se contulisset, Vincentia cum naturae bona, tum munera gratiae clarius in dies ostendit; tantoque eadem, quamvis modice erudita, fulsit ingenio, ut iuberetur elementa Christianae doctrinae tradere puellis, in quibus postea quaedam fuere quae, praeclarum eius exemplar imitantes, vitam Deo devotam item affectarunt. Ibidem vero, compluribus in sodaliciis, tum Filiarum Cordis Iesu, tum Actionis Catholicae, muneribus in se receptis, adulescentula veluti « maxima natu soror » facta est, et ea quidem cum in docendo, tum quod suis ipsa moribus omnibus esset documento.

Postquam Sabinus Cassatella sacerdos ad eam paroeciam regendam delectus est, Vincentia, eo magistro, intentiorem suo animo excolendo operam dedit; quod quidem eam in progressione facienda ad summam virtutis adiuvit. Cum autem ad capessendam umbratilem vitam, rebus divinis contemplandis deditam, se vocari animadvertisset, aliqua suorum repugnantia superata, mense Septembri anno 1928, Claralibus virginibus illis sodalem se adiunxit, quae Albani, haud longe ab hac Urbe, in asceterio Sacratissimae Conceptionis, sedem habebant, quaeque tunc, temporis causa, illic prope Arce Gandulfi versabantur. Hinc Vincentia, dum ad vitam Deo mancipandam instruitur, nomen indidit sibi Sorori Mariae Clarae a Sancta Teresia a Iesu Infante, quo quidem Sanctam virginem illam Lexoviensem expresse commemoraret, quam sibi ipsa veluti « viae comitem » sumpserat. Itaque in sanctissimi claustri recessu, alterum aetatis suae gradum auspicata, sibimetipsi mori didicit, quo Christi lineamenta magis magisque in se exprimeret, utque « vivum Eius exemplar » fieret, quippe cum pro certo haberet se, quo magis ad sanctitatem contenderet, eo magis ad universi humani generis bonum collaturam. Ideo sancta precatio veluti eius vitae spiritus fuit eiusque animus caritatis, quam suis ipsa sororibus usque ad oblivionem sui dispensavit. Nam, ut erat serviendi studio ac benignitate permota, saepe aliena opera, in quibus et graviora, suscepit. Quae, dum divinis meditandis rebus ad summam virtutis gradatim ascendit, ut erat formosa facie, tamen cum in humi-

litate, tum in studio sese discruciandi profecit. Omnia igitur plena illa, qua Christicolam decet, laetitia accipiebat, quam cum franciscalis, tum claralis consuetudo mirum in modum testatur. Haec vero, in Christi cruce dumtaxat gloriabunda, sacerdotibus ad sanctitatem perducendis, per orationem suique oblationem, quamdiu vixit, operam dedit. Quam magno denique studio caritatis flagraret, id praesertim anno 1944, altero saeviente populorum conflictu, eminuit, cum velivola incursantia, asceterio globis ignivomis diffracto, sacrarum virginum numerum imminuerunt. Tunc enim Dei Ancilla, licet graviter percussa, ad levandos cruciatus earum quae supererant totam se contulit, adeo ut somno ciboque se abstineret.

Cum tamen, vertentibus annis, prima signa eius morbi, quo ipsa moritura erat, apparuissent, sui asceterii claustra relinquere coacta, Romam, in Camillianum valetudinarium phthisi laborantium, adducta est. Quam quidem occasionem captavit haec virgo quo maiore animi intentione pro sacerdotibus, pro vocationibus augendis, pro incolumitate eius qui «alter dulcisque Christus in terris», denique pro hominum salute, se Deo devoveret. Quae, licet languentibus viribus, etiam in compluribus valetudinariis, in quibus extremam ipsa aetatem degit, singularem suae odorem caritatis effudit, omnia omnibus facta eademque tamquam consolationis angelus aegrotantibus exsistens. Etenim, quamdiu inter iuniores aegrotas fuit, ad Christianae doctrinae institutionem se rettulit quapropter Deo devotam virginem, in studium sanctae precationis innixam, aegrotantium ministrae sorores adeo admirabantur, ut postea, quod emorienti adsiderent eiusque exuvias vestirent, id maximo sibi honori ducerent.

Barii tandem, caelesti viatico per ipsum Ioachimum fratrem, qui interea sacerdotium inter Rogationistas inierat, refecta, suis aegrotisque sodalibus maximo studio prosequentibus, sancte in Domino obdormivit die 9 mensis Martii anno 1948, hora septima, eodem scilicet die et hora ac ipsa sese decessuram praedixerat. Deinde vero, post iusta funebria, quae ibidem facta sunt, in coemeterium Albanum translatum est corpus; quod tandem, iam usque ab anno 1999, in templo illius asceterii, quod ipsa viva dilexerat, iacet.

Increbrescente autem post mortem eius fama sanctitatis, quae ceterum, dum vixit, iam pervulgata erat, in Barensi Curia, a die 29 mensis Novembris anno 1983, ad diem 8 mensis Martii anno 1990, Inquisitio dioecesana est instructa; cuius vim iuridicam haec Congregatio de Causis Sanctorum ratam habuit per Decretum die 14 mensis Maii anno 1993, latum. *Positione* confecta, more tralaticio disceptatum est num Dei Ancilla christianas virtutes, easque

heroico in gradu, exercuisset. Die autem 6 mensis Novembris anno 2009, habitus est, favorabili quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Amplissimus denique Purpuratorum Patrum et Antistitum coetus, in Sessione Ordinaria, quae die 18 mensis Ianuarii hoc anno 2011 gesta est, audita relatione Exc.mi D.ni Edmundi Farhat, Archiepiscopi titulo Biblensi, Causae Ponentis, agnovit hanc Dei Ancillam theologales, cardinales iisque adnexas virtutes, et eas quidem heroico in gradu, exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Clarae a Sancta Teresia a Iesu Infante (in saec.: Vincentiae Damato), Monialis Professae ex Ordine a S. Clara Assisiensi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Mandavit autem Beatissimus Pater ut praesens decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 2 mensis Aprilis A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Catharinae Irigoyen Echegaray (in relig.: Mariae a Desponsatione), Sororis Professae Instituti Servarum Mariae Infirmis Ministrantium (1848-1918)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Catharina Irigoyen Echegaray die 25 mensis Novembris anno 1848 Pampelone, in Navarra Hispaniae, nata est. Iuventutis periodo munus exercuit praesidis Associationis Filiarum Mariae, in qua

coram iuvenibus congregantibus exemplum se praebuit. Sorores Servae Mariae anno 1878 Pampelonem advenerunt. Tunc Maria Catharina, percipiens se Domino consecrandam esse, hoc vitae genere allecta in hoc Institutum admitti petivit. Matriti noviciatum peregit, habitum induens die 12 mensis Martii anno 1882; tunc assumpsit nomen Mariae a Desponsatione. Die 14 mensis Maii anno 1883 religiosam emisit professionem ac deinde studiosa caritate muneri infirmis in domiciliis subveniendi se dedit. Mira eius exstitit sollicitudo anno 1890 quo grassabantur grippica pestilentia necnon cholera et variolarum pullulatio quae Hispaniam tunc temporis vastaverunt. Anno 1913 tuberculosis ossea detecta est in Sorore Maria, quae igitur chirurgicae sectioni bis submissa est. Post haud breves cruciatus, die 10 mensis Octobris anno 1918 animam Domino placide tradidit. Die 30 mensis Martii anno 1981 Decretum super virtutibus heroicis Servae Dei promulgatum est.

Postulatio Causae, beatificationi prospiciens, iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum sequens exhibuit mirum prodigium quod in urbe capite *La Paz*, in Bolivia, mense Novembri anno 2004 patratum est. Agitur enim de celeri ac sine residuis sanatione viri doctoris Aloisii Ferdinandi Padilla Gómez, tunc annorum aetatis septem et quadraginta. Hic enim vir convulsionum angustias ob hygroma cerebrale ex improviso subire coepit. Per chirurgiam quaedam immissa est illi valvula; attamen post quattuor et viginti horas exortae sunt aliquot implicationes ita ut ipsa infirmi vita periclitaretur, quales sunt: pneumonia, meningitis, haemorrhagia cerebralis, infarctus cerebri necnon grave diuturnumque spatium anoxiae cerebralis. Saepe igitur timor exstitit ne aegrotus mortem obiret, et, ut omnia recte procederent, oportuit ut hic patiens diuturnam ageret periodum recuperationis et totam per vitam gravia perferret consectaria, praesertim ob longinquitatem temporis quo cerebrum oxygenio privatum permansit.

Tempore tamen quo infirmus propter novas implicationes maxima affligebatur gravitate, quaedam Religiosa Serva Mariae, addicta servitio apud valetudinarium appellatum “Artifex Pacis” ubi aegrotus degebat, dominam Mercedem, uxorem infirmi, hortata est ut pro coniuge suo auxilium impetraret Venerabilis Mariae Catharinae. Domina Mercedes, quendam textum orationis, quem e manibus Sororis receperat, photographice exscripsit et multiplicavit, ac postea exemplaria distribuit inter omnes familiares qui sese congregaverunt ut per continuam orationem sanationem infirmi implorarent. Huius ritus precationum participes facti sunt quoque officiales infirmarii, persuasi infirmum tantummodo ex miraculo sanari posse, quoniam curatio-

nibus traditis non respondebat et valetudinis condicio magis magisque in deterius ruebat.

Omnibus maxime stupentibus, sanatio, quae inde ab initis precibus per intercessionem Venerabilis Servae Dei iam adumbrabatur, brevi temporis spatio expleta est, et infirmus suam in domum redire potuit.

De hac sanatione, quae mira est habita, in Archidioecesi Pacensi in Bolivia instructa est Inquisitio dioecesana a die 9 ad diem 21 mensis Iunii anno 2006, cuius iuridicam validitatem approbavit haec Congregatio de Causis Sanctorum Decretum edens die 31 mensis Martii anno 2007. Medicorum Dicasterii Consilium die 20 mensis Maii anno 2010 agnovit huiusmodi sanationem secundum leges scientiae medicae inexplicabilem esse, ac celerem fuisse, perfectam et absque residuis. Die 5 sequentis mensis Octobris habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et die 15 mensis Februarii anno 2011 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Exc.mo D.no Raphaelo Martinelli, Episcopo Tusculano. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae Catharinae Irigoyen Echegaray (in rel.: Mariae a Desponsatione), Sororis Professae Instituti Servarum Mariae Infirmis Ministrantium, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione domini Aloisii Ferdinandi Padilla Gómez, ab « edema cerebrale e igroma subdurale con complicazioni »*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Aprilis A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MEDIOLANENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Seraphini Morazzone, Sacerdotis Dioecesani et Parochi (1747-1822)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Seraphinus Morazzone die 1 mensis Februarii anno 1747 Mediolani natus est. Persentiens ad sacerdotalem vitam vocari, sacram ordinationem accepit die 9 mensis Maii anno 1773 et ipsa die officium parochi sumpsit in pago vulgo *Chiuso*, prope Leucum, in Archidioecesi Mediolanensi. In exigua paroeciali communitate ex ducentis circiter incolis, Servus Dei pastorali sollicitudine, simplicitate ac mansuetudine eminuit, sibi concilians aestimationem fidelium et confratrum sacerdotum, qui per antonomasiam « bonum curionem » eum appellarunt. Mirabili praecelluit cultu erga Eucharistiam et, dum in pastorale opus incumbebat, fideles hortabatur ut frequenter ad Sacrum Convivium accederent. Apostolatus eius apud tenuiores intensus exstitit: etenim sollicitum se praebuit de pauperibus et pueris, sua in domo elementariam aperiens scholam gratuitam, et constantem caritatem exercens illo ipso tempore quo pagus *Chiuso* anno 1799 ab exercitu Austriaco-Russico vastabatur. Unanimi circumdatus affectu et chorali populi voce uti « sanctus » acclamatus, die 13 mensis Aprilis anno 1822 placide in Domino obdormivit. Die 17 mensis Decembris anno 2007 Summus Pontifex Benedictus XVI heroicas eius virtutes agnovit.

Ad beatificationem quod attinet, Postulatio Causae iudicio Congregationis de Causis Sanctorum assertum exhibuit mirum eventum, qui ascriptus est intercessioni Servi Dei. Huiusmodi eventus, qui Leuci patratus est noctu inter dies 17 et 18 mensis Decembris anno 1960, respicit extraordinariam sanationem neonati Seraphini Corti a gravi atresia in apparatu digerenti. Ante unius fere mensis spatium puellus praemature nascebatur et generales valetudinis condiciones nimis instabiles ostendebantur, et insuper dierum decursu celeris consumptio notata est ob eius constantem deformationem: infaustus praevidebatur exitus neonati qui revera in acuto vitae versabatur discrimine.

Attenta quidem gravi valetudinis condicione, familiares, propinqui, sorores valetudinario addictae, christifideles paroeciae, pueri scholae maternae necnon innumeri senes et infirmi loci in unum congregati preces Deo ferventer effuderunt pro vita infantis Seraphini, enixe impetrantes intercessionem Venerabilis Servi Dei. De matris voluntate, imaguncula quaedam sacerdotis Seraphini sub cunulis neonati est apposita. Mane diei 18 mensis Decembris ex improviso prodigium factum est: deformatio qua puellus afficiebatur prorsus soluta est ita ut eius status clinicus ad plenam normam rediret.

Perspicua apparet congruentia chronologica et nexus inter invocationem ad Venerabilem Servum Dei et sanationem infantis Seraphini Corti, qui deinceps bona usus est valetudine ac consuetam relationis vitam gerere potuit.

De hoc asserto prodigio divinitus patrato apud Curiam Archidioecesanam Mediolanensem instructa est Inquisitio dioecesana a die 24 mensis Maii anno 2005 usque ad diem 21 mensis Martii anno 2006; cuius iuridicam validitatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum Decretum vulgans die 9 mensis Iunii anno 2007. Deinde diversa Acta Inquisitionis dioecesanae subiecta sunt studio et iudicio Consilii Medicorum huius Dicasterii die 29 mensis Octobris anno 2009 et, post ulteriorem investigationem Mediolani actam, die 11 mensis Novembris anno 2010 periti Medici comprobaverunt gravitatem valetudinis parvi patientis et agnoverunt recuperationem eius sub lumine hodiernae scientiae inexplicabilem fuisse. Die 15 mensis Ianuarii anno 2011 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, et die 1 sequentis mensis Martii congregati sunt in Sessione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi, Ponente Causae Exc.mo D.no Rino Fisichella, Archiepiscopo titulo Vicohabentino. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo constaret responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Seraphini Morazzone, Sacerdotis dioecesani et Parochi, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione pueri Seraphini Corti ab « atresia ano-rettale medio-bassa senza fistola rettoperineale, sottoposta a colostomia derivativa ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Aprilis A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MEDIOLANENSIS seu KENGTUGHENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Clementis Vismara, Sacerdotis Pontificii Instituti pro Missionibus Exteris (1897-1988)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Clemens Vismara die 6 mensis Septembris anno 1897 ortus est in oppido v. d. *Agrate Brianza*, nunc ex Provincia Montiana. Ille enim, primo bello mundiali composito, quo perdurante nomismate meriti causa honestatus erat, apud Mediolanense Institutum pro Missionibus Exteris est exceptus et die 26 mensis Maii anno 1923 sacro presbyteratus ordine insignitus. Die 2 sequentis mensis Augusti in Birmaniam, in praesens *Myanmar* appellatam et ex dioecesi Kengtunghensi, missus est, ubi maximam sui intensi apostolatus partem apud tenuiores explicavit, praecipue in pagis *Mong Lin* e *Mong Pin*, in contextu oeconomice ac moraliter oneroso versantibus. Per quinque et sexaginta annos in quibus vires impendit ad Evangelium indefesse nuntiandum, Venerabilis Servus Dei cotidianam vitam gessit una cum innumeris orphanis, senibus, infirmis, de quibus curam adhibuit ut illis necessarium ad vivendum minime deesset. Die 15 mensis Iunii anno 1988, unum et nonaginta aetatis annos agens, in pago *Mong Pin* placide animam Domino tradidit. Summus Pontifex Benedictus XVI die 15 mensis Martii anno 2008 heroicas approbavit virtutes.

Beatificationi prospiciens, Postulatio huius Causae iudicio Congregationis de Causis Sanctorum coniectum exhibuit mirum eventum, in pago *Mong Yaung* anno 1998 patratum, sanationem scilicet pueri Iosephi Thayasoe a veternoso statu in quem incidit ex gravi traumate cranico. Die 1 mensis Februarii eiusdem anni puer ex arbore dilapsus est caput cuidam lateri impingens. Itaque in vicinum valetudinarium exceptus est, ubi, clinicis curationibus peractis, declaratus est gravis valetudinis status eo ut perveniret ad totalem absentiam communicationis: puer per aliquot dies, licet respirare pergeret, nullum motorium signum ostendebat. Perspicue praevidebatur infausta quoad vitam prognosis.

Ita stantibus rebus, ut spes positivae progressionis minime haberetur, soror Teresia Pan, praeposita orphanotrophio, quo Iosephus Thayasoe exceptus erat, de consilio medici a cura illius valetudinarii, Buddhisticam fidem profitentis, statuit ut ad Venerabilem Servum Dei orationes effunderentur; et per novendiales precationes implicavit quoque iuvenes amicos pueri infirmi, ad eius impetrandam sanationem per intercessionem Venerabilis Servi Dei. Quarto ineunte die, mane scilicet diei 4 mensis Februarii, celerrima comprobari potuit expergefactio pueri, qui petivit aliquid ad manducandum ac rursus desiderium expressit ad res suae utilitatis redeundi. Peracta inspectio clinica nullum ostendit defectum neuropsychicum, immo etiam plenum exhibuit conscientiae statum ac sine residuis. Evidens exstitit congruentia chronologica et nexus inter invocationem ad Venerabilem Servum Dei et sanationem Iosephi Thayasoe, qui in praesens bona utitur valetudine necnon consuetam communicationis vitam gerere potest.

De hoc asserto miraculo, apud Curiam dioecesanam Kengtunghensem a die 3 ad diem 9 mensis Iulii anno 2004 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius iuridicam auctoritatem approbavit Congregatio de Causis Sanctorum Decretum evulgans die 3 mensis Februarii anno 2006. Acta quae ex dioecesana Inquisitione sunt collecta, deinceps, die nempe 25 mensis Martii anno 2010, examini Consilii Medicorum huius Dicasterii subiecta sunt. Medici enim confirmaverunt gravem valetudinis condicionem parvi infirmi, et edixerunt citatam excitationem a veternoso statu necnon rapidam conscientiae recuperationem pueri, ex scientiae medicae legibus explicari non posse. Ulterius apud Archidioecesim Mediolanensem perfectae sunt aliae scientificae indagationes, quae exceptionalem et inexplicabilem huius eventus condicionem fuisse demonstraverunt. Die 15 mensis Ianuarii 2011 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, ac die 22 sequentis mensis

Martii habita est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Exc.mo D.no Xaverio Echevarría Rodríguez, Episcopo titulo Cilibiensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Clementis Vismara, Sacerdotis Pontificii Instituti pro Missionibus Exteris, videlicet de instantanea, perfecta ac constanti sanatione pueri Iosephi Thayasoe a «trauma cranico grave, con ipertensione endocranica e coma».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Aprilis A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 8 Maii 2012. — Titulari episcopali Ecclesiae Tunnunensi, R. D. Stephanum Robson, e clero archidioecesis Sancti Andreae et Edimburgensis, ibique hactenus Cancellarium, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 9 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Castellomedianitanae, R .D. Rochum Costa Souza, e clero archidioecesis Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, ibique paroeciae vulgo "*Nossa Senhora do Carmo da Antiga Sé*" dictae Parochum et Seminarii Maioris Rectorem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 12 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Nasbincensi R .D. Rolandum Roa Barbosa, e clero archidioecesis Ibaguensis, ibique Seminarii Rectorem, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Ibaguensis.

— Cathedrali Ecclesiae Tarnoviensi, Exc.mum P. D. Andream Jeż, hactenus Episcopum titularem Tigillavensem et Auxiliarem Tarnoviensem.

die 14 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Gerontopolitanae, Exc.mum P. D. Alvarum Leonillum Ramazzini Imeri, hactenus Episcopum Sancti Marci in Guatimala.

— Cathedrali Ecclesiae Tuumbanae, R. D. Robertum McGuckin, e clero Dioecesis Parramattensis, ibique Vicarium Generalem Curiaeque Moderatorem.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Gratianopolitanae, Exc.mum P. D. Demetrium Salachas, Exarchum Apostolicum pro Catholicis Ritus Byzantini in Graecia.

die 15 Maii 2012. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Iosephi in Insulis Philippinis, Exc.mum P. D. Robertum Calara Mallari, hactenus Episcopum titularem Herdonitanum et Auxiliarem Sancti Ferdinandi.

die 18 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Araditanae, R. D. Vayne Kirkpatrick, e clero dioecesis Sanctae Catharinae in Ontario, ibique Cancellarium, Vicarium Iudicialem, Curiae Moderatorem curionemque Cathedralis, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Torontinae.

die 26 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Iustinopolitanae, Exc.mum P. D. Georgium Bizjak, hactenus Episcopum titularem Gergitanum et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 28 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Gemellensi in Numidia, R. D. Elkin Ferdinandum Álvarez Botero, e clero dioecesis Sonsonensis-Rivi Nigri, hactenus Officii Secretariae Conferentiae Episcoporum Columbiae Praepositum, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Medellensis.

die 29 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Buffalensi, Exc.mum P. D. Richardum Iosephum Malone, hactenus Episcopum Portlandensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Denveriensi, Exc.mum P. D. Samuelem Iosephum Aquila, hactenus Episcopum Fargensem.

die 30 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Guanhanensi, R. D. Ieremiam Antonium de Jesus, e clero dioecesis Brigantiensis in Brasilia, ibique paroeciae vulgo dictae "*Cristo Rei*" in Atibaia Curionem.

die 31 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Francisci de Macoris, R. D. Faustum Raimundum Mejía Vallejo, e clero dioecesis Vegensis, hactenus Rectorem Universitatis Catholicae vulgo dictae "*Universidad Católica Teológica de Cibao*" in archidioecesi Sancti Dominici.

— Cathedrali Ecclesiae Urbevetanae-Tudertinae, Exc.mum P. D. Benedictum Tuzia, hactenus Episcopum titularem Nepesinum et Auxiliarem Urbis.

ACTA TRIBUNALIUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA

MEDIOLANENSIS

DECRETUM

Quo conceditur donum Indulgentiarum christifidelibus occasione VII Mundialis Familiarum Congressus, a die XXX vertentis mensis Maii usque ad diem III Iunii Mediolani celebrandi.

Familiare Consortium, occasione adstantis VII Mundialis Congressus Familiarum Mediolani, celebrabitur sub proposito «Familia, labor et dies festus», eo intento fine ut apta significentur media, quibus inter se componantur necessitates familiae, laboris ac dierum festorum, in primis diei dominicae, hebdomadalis Paschae, quae quidem est dies Domini et hominis, dies familiae et totius communitatis.

Quo autem christifideles animo ad illum eventum melius disponantur, Sanctissimus in Christo Pater, Benedictus Divina Providentia Papa XVI libenter concedit Indulgentiarum donum, iuxta sequentem indicem, si, vere paenitentes et caritate compulsi, in familiam sanctificandam incumbunt, ad exemplum Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph.

Plenaria conceditur christifidelibus *Indulgentia,* lucranda sub suetis condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis), animo quidem elongato a quocumque peccato, si cui ex sacris functionibus decursu dicti VII Mundialis Familiarum Congressus, necnon sollemni eiusdem conclusioni, devote interfuerint.

Christifideles, qui illi eventui interesse nequeunt, *plenariam* consequi valebunt *Indulgentiam,* eisdem sub condicionibus, si, spiritu coniuncti cum fidelibus Mediolani praesentibus, Orationem Dominicam, Symbolum Fidei et

alias preces, ad fines supra indicatos a Divina Misericordia implorandos, in familia pie recitaverint, praesertim dum Sanctissimi Verba instrumentis televisificis et radiophonicis propagabuntur.

Partialis denique conceditur *Indulgentia* christifidelibus, corde saltem contrito assequenda, quoties tempore supra indicato pro familiarum bono preces fuderint.

Praesenti pro hac vice valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XVII mensis Maii, anno Dominicae Incarnationis MMXII, in Ascensione Domini.

EMMANUEL S.R.E. Card. MONTEIRO DE CASTRO
Paenitentiarius Maior

✠ IOANNES FRANCISCUS GIROTTI, O.F.M. Conv.
Ep. tit. Mentensis, *Regens*

L. + S.
In PA tab., n. 227/12/1

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 18 maggio, S. E. il Signor Bruno Joubert, Ambasciatore di Francia.

Sua Santità ha altresì ricevuto in Udienza:

Sabato, 5 maggio, S. E. il Signor Bamir Topi, Presidente della Repubblica di Albania;

Venerdì, 11 maggio, l'On. Giorgio Napolitano, Presidente della Repubblica Italiana;

Venerdì, 25 maggio, S. E. il Signor Petr Nečas, Primo Ministro della Repubblica Ceca;

Lunedì, 28 maggio, S. E. la Signora Laura Chinchilla Miranda, Presidente della Repubblica di Costa Rica.

Il Santo Padre Benedetto XVI ha compiuto una Visita Pastorale ad Arezzo, Sansepolcro domenica 13 maggio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

21 maggio 2012 S.E.R. Mons. Alessandro D'Errico, Arcivescovo titolare di Carini, finora Nunzio Apostolico in Bosnia ed Erzegovina e in Montenegro, *Nunzio Apostolico in Croazia*.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

17 aprile 2012 I Rev.di Mons.: Marco Frisina (Italia), Presidente della Commissione Diocesana di Arte Sacra della Diocesi di Roma,

Docente presso la Pontificia Università Lateranense e la Pontificia Università della Santa Croce in Roma; P. Jeremy Driscoll, O.S.B. (Stati Uniti d'America), Docente presso il *Mount Angel Seminary* in St. Benedict, Oregon, e la Facoltà di Teologia del Pontificio Ateneo Sant'Anselmo in Roma; P. Marko Ivan Rupnik, S.I. (Slovenia), Direttore del Centro Aletti, Docente presso il Pontificio Istituto Orientale, la Pontificia Università Gregoriana e il Pontificio Istituto Liturgico del Pontificio Ateneo Sant'Anselmo in Roma; e l'Illustrissimo Dott. Salvatore Martinez (Italia), Presidente dell'Associazione *Rinnovamento nello Spirito Santo*, *Consultori del Pontificio Consiglio per la Promozione della Nuova Evangelizzazione*.

17 aprile 2012 L'Ill.mo Prof. Gert Melville, Docente di Storia Medievale all'Università di Dresden (Repubblica Federale di Germania), *Membro del Pontificio Comitato di Scienze Storiche « ad quinquennium »*; e inoltre gli Ill.mi Prof.: David D'Avray, Nelson Hubert Minnich e Agostino Borromeo, *Membri del suddetto Comitato « in aliud quinquennium »*.

11 maggio » L'Ecc.mo Mons. Francis Assisi Chullikatt, Arcivescovo titolare di Ostra, Osservatore Permanente della Santa Sede presso l'Organizzazione delle Nazioni Unite (O.N.U.), *Osservatore Permanente della Santa Sede presso l'Organizzazione degli Stati Americani (O.A.S.)*.

28 » » L'Em.mo Signor Cardinale Santos Abril y Castelló, Arciprete della Basilica Papale di Santa Maria Maggiore, *Amministratore Pontificio della medesima Basilica*.

NECROLOGIO

4 maggio 2012 Mons. Anthony O'Connell, Vescovo em. di Palm Beach (*Stati Uniti d'America*).

6 » » Mons. Felix Kouadio, Vescovo di Bondoukou (*Costa d'Avorio*).

8 » » Mons. William Aquin Carew, Nunzio Apostolico e Arcivescovo tit. di Telde (*Canada*).

13 » » Mons. Antoine Nguyen Van Thien, Vescovo tit. di Spello (*Francia*).

19 » » Mons. Isak Dorea, Vescovo em. di Sintang (*Indonesia*).

1 giugno » Mons. Juozas Tunaitis, Vescovo tit. di Sassura e Ausiliare em. di Vilnius (*Lituania*).